Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

VIRI ILLVSTRIS

IACOBI BONGARSI

EPISTOLÆ

AD

IOACHIMUM CAMERARIUM, Medicum ac Philoſophum Celeberrimum ſcriptæ,

ET

HISTORICIS ac POLITICIS documentis inſtructæ.

Nunc primùm edita.



Ant: Parment

LVGD. BATAV.
Ex Officinâ Elzeviriorum.

CIƆ IƆ CXLVII.

Koninklijke Bibliotheek 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

1.

VIRO ILLVSTRI,

LVDOVICO CAMERARIO,

JOACH. F. JOACH. N.

Conſiliario & Ex-Legato Regio,

S. P. D.

FRIDERICUS SPANHEMIUS,

R*EDIT ad te, Vir Illuſtris*, Bongarſianum *opuſculum (cujus me editorem eſſe voluiſti) & in eo* Bongarſius *tuo beneficio redivivus. Merebatur ſanè tanti viri ignotus propemodùm ſeculo noſtro candor, ut veteris iſtius honeſti imago iſtis Epiſtolis exhiberetur Orbi, in exemplum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

eorum, qui publicis rebus admoventur. Qualis & quantus Bongarſius *fuerit, illi norunt, qui aliquam rerum ſuperioris ſeculi notitiam habent. Gallum gente, domo Aurelianenſem fuiſſe, & Nobili quidem genere oriundum, conſtat, quod tamen decus minimum eorum fuit quæ in eo ſpectari debebant. Plus ſuæ Virtuti debuit, quàm Majorum imaginibus. Illâ Maximi Regis* Henrici IV *amorem meruit & favens judicium. Ab eo etiam ad Germaniæ Principes creperis rebus ſæpius miſſus, ſuam Regi fidem, candorem & integritatem omnibus probavit, Prolegati munere aliquoties, Legati ſemel, & quidem pro dignitate, functus. Iudicium ei*

obit-

obtigerat magnorum negotiorum capax, & quòd caput eſt, cum ſingulari probitate conjunctum, quæ miſtura rariſſima eſt noſtro ſeculo, quo vafra potius quàm ſincera ingenia probantur, & quo nonniſi illi magni cenſentur qui vulpinari norunt, & ſcenæ ſervire. Pietati & integritati Bongarſius *eruditionis & eruditorum adjunxerat amorem. Nec vel aula, vel negotia, vel peregrinationes creberrimæ interceſsêre, quominus & illam promoveret in aliis, & ſuæ fidem faceret, quam non vulgarem habuit, & tantò magis æſtimandam, quò cum majori modeſtiâ conjuncta fuit. Nec tantùm Iuvenis* Juſtinum *doctiſſimis*

notis à ſe inſtructum dedit, ſed & ſenex inter graviſſima negotia vulgavit Volumen ingens Geſtorum Dei per Francos, *quo belli ſacri Scriptores complures complexus fuit. Alterius etiam materiam collegerat, & publico deſtinârat. Sed mors & vitam integerrimi Viri, verum prudentiæ & probitatis exemplar, & tantum ejus fructum nobis intervertit. Bibliothecam ſuam, quam inſtructiſſimam habebat, & vel maximè Codicibus manu exaratis, locupletiſſimam, eruditis ſemper patere voluit, quorum commoda in publicos uſus ſummâ propenſione juvit, nec magnam tantùm, ſed & bonam famam*

apud

apūd bonos omnes reliquit. Quanti eum etiam ſummū ſeculi decus Vir Illuſtris Cl. Salmaſius, *cui familiarius notus erat, fecerit, faciatque, ex ejus ore non ſemel intellexi. Non mirum cùm talis & tantus eſſet, ſummam illi cum ſummo Parente tuo neceſſitudinem interceſſiſſe. Virtutis cognatio inter bonos facilis & arcta quidem fibula eſt. Illâ eorum animi, & ſanctiſſimè quidem, adſtringuntur. Quantus fuerit Parens tuus, quantus Avus, præcipuus eruditionis in Germaniâ inſtaurator, Orbi notum. Non exſpectas à me, Vir Illuſtris, ut illorum tibi decora prolixè repræſentem, nullis quippe ignota, & quibus ſuus*

honos conſtabit, quam diu virtuti & bonis litteris. Nec in tuas laudes me exſpatiari modeſtia tua ſineret, quæ ſummis virtutibus comes eſſe ſolet. Eximiam virtutem tuam integra regna novêre, quâ ipſi genti tuæ quamvis jam ante inclytæ novum ſplendorem addidiſti. Quæ tua prudentia ſit, quàm ſubactum de rebus omnibus judicium, quàm mira in graviſſimorum negotiorum adminiſtratione dexteritas, quinquaginta propemodum annorum uſu & experientiâ exercita, quæ integritas, quæ triſtiſſimis temporibus magnis à te Principibus probata fides, quàm opportuna & grata ſimul Sereniſſimis Electoribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

bus Palatinis opera, quot amplißimis muneribus admotus fueris, quot Legationibus ad maximos Orbis Chriſtiani Principes defunctus, omnibus notum. Ipſæ malevolorum obtrectationes, quas tua integritas & pro bonâ cauſà zelus in te concitarunt, laudibus tuis accedunt. Nec enim tot in te calamos, & tantam licentiam mediocris virtus acuiſſet. Magnum ſanè eſſe oportebat, quem Glorioſiſſimus Regum GUSTAVUS MAGNUS *ſuum eſſe vellet, & triumphatricis gentis apud Potentiſſimam Rempubl. Oratorem. Ei etiam muneri te parem tua virtus præſtitit, & dignitati per ſe ſplendidæ novum decus adjecit, donec cu-*

rarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

rarum & negotiorum ſatur miſſionem impetrares, & honeſtiſſimum otium, in quo reliquos vitæ tuæ annos tibi imputare poſſes. Nec in otio tamen otioſus eſſe potes, ſed Reipublicæ Theſaurum paras, quem tibi vel vivo debebit, vel exſtincto, ut qui in Camerariorum *virtutes gentilitias ex aſſe ſucceſſiſti, ſuccedas etiam in eorum de Republ. litterariâ merita. Generum interea, Ampliſſimum & dexterrimi judicii Virum,* Paulum Strasburgerum, *& Eximium, ac in tuas virtutes magno gradu euntem Filium* Joachimum, *à primâ ætate mihi conjunctiſſimum, utrumque olim Maximi Regis, nunc*

Maxi-

Maximæ Reginæ, ſexum ſuum ſuis virtutibus ſupergreſſæ, miniſterio in præclaro munere admotum, Reipublicæ commodis impendis, & cum illis ac per illos bonam adhuc cauſam utiliſſimâ operâ, ipſe etiam domi ſaluberrimis conſiliis juvas. Hæc negotioſa quies ut tibi diuturna ſit, & proſperrima, toto animo, Vir Illuſtris, precor, ut qui conſummatam virtutem tuam, & ſingularem illam quâ me complecteris benevolentiam, maximi, ut debeo, facio, & inter decora mea refero. Vale, Vir Illuſtris, & in Camerariorum *gloriam ac ſeculi decus crudam & vegetam ſenectutem multos annos ſuperſtes vive, meque tuo nomini*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

mini & tuæ Dignitati devotiſſimum amare perge. In quo voto deſino. Scripſi Lugduni Batavor. Idib. Majis, Anno cIↄ Iↄ CXLVII.

IACO-

IACOBI BONGARSII BODRIANI, EPISTOLÆ

AD

Clariſsimum Excellentiſsimumque Virum,
D. D. IOACHIMUM CAMERARIUM,
Reipublicæ Noribergenſis Medicum.

I.

Clariſſime Domine, amice colende ſalve.

OBLATAM à Clariſſimo Domino D. Donello ſcribendi ad vos occaſionem, nolui amittere. Debeo hoc ſaltem, cum majora non poſſum, humanitati veſtræ. Advenimus huc ſalvi, Deo ducente. Hinc Rupellas cogitat Illuſtriſſ. Dom. Segurius, ad Regem, quem publicè intereſt, de præ-

ſenti rerum noſtrarum his locis ſtatu, certiorem fieri: Talis autem eſt, ut neque nunciis, neque litteris ſatis commodè explicari poſſit. Neſcio an tutum iter per claſſem Hiſpanicam futurum ſit, quam XII. hujus menſis, novo ſtilo, Liſbonâ ſolviſſe, ſcribunt Antverpiâ. Infeſto claſſibus mari, non ſuaderem temerè iter ingrediendum. De rebus Belgicis accipietis ex ore ipſius Dom. Donelli. In Anglia, ad excipiendos Hiſpanos ita comparata omnia ſcribunt, ut nihil ab externo hoſte periculi ſibi imminere putēt: etiam terrori ſe illi futuros ſperant. Vereor, ne nimia virium ſuarum fiduciâ, iram Divinam provocent. Scribunt tamen viri prudentes, pleriſque videri, Hiſpanum aliò quàm in Angliam cogitare: & urgeri pacem à Parmenſi. Solent gladiatores, locum

quem

quem ictu petere conſtituerunt, intento in alium mucrone, diſſimulare. Et hic ipſe Hiſpanus, ante annos octo, cum ad invadendam Luſitaniam omnibus ſe viribus inſtrueret, in Angliam dirigere conſilia ſua videri volebat. Sed hæc tempus aperiet. Lutetiæ, ſub finem Aprilis, magnas turbas Guiſius dedit, fugato Rege, urbe in poteſtatem ſuam redactâ. Narrationem arbitror ad vos Lugduno perlatam eſſe. Mihi ante acta cogitanti, non poſſunt iſtorum actiones omnes non eſſe valde ſuſpectæ. Sed, præterquam quod ipſorum ingenium, multis experimentis cognitum habemus, quærere hîc lubet, Quare Rex Guiſium, poſtquam de ejus conſiliis reſcivit, & is penè ſolus in arcem Luparam ſalutandi & excuſandi cauſa veniſſet, non detinuerit: Quare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

poſtea Guiſius, cum in urbe prævaleret, Regem non ita concluſerit, ut elabi non poſſet. Quare etiam Rex fugiens, Saumurium quod eſt ad Ligerim, petierit: ac non potius Normanniam, in qua erat Eſpernonus cum copiis. Vereor, ne ex compoſito iſta agantur: Sed omniũ maximè vereor, ne ſeriò iſta agi ſibi perſuaderi Rex Navarræ patiatur: & Regis fortunam miſertus, ad ejus auxilium, ſuam autem perniciem advolet. Sed, quid ſi Deus committere illos inter ſe, & mutuis diſſenſionibus perdere velit? Ut ut ſit, malim Regem Navarræ hoc tempore ſpectatorem eſſe, quàm actorem: & Epicharmeæ ſententiæ meminiſſe. Vos, obſecro, pro Rege optimo orate: ut conſtans ſolum Deum ante oculos habeat: illos, à Deo alienos homines, fugiat. Regina Angliæ Legatum ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Regem miſit, qui ei Regni ſui vires & facultates, ad ſeditioſos illos compeſcendos & puniendos, offerret. Omnino, Vir clariſſime, octogeſimum octavum annum attigimus. In Anglia ſunt nomine Ducis Jo. Caſimiri Schenckius, & Doctor Danaus: ille auxilium Bonnæ, hic Palatinatui petens. Tu, & frater, & Magnif. Dn. Baumgartnerus, nos amate: & ſalvete ab Ill. Dn. Segurio & à me. D. Cognetius de la Tuillerie, Harburgi eſt, in hac viciniâ: aliâs ad te ſcripturus: nunc pro litteris ſalutem mittit. Hamburgo xx. Maii. 1588.

Tui ſtudioſiſſ. & obſervantiſſ.

JAC. BONGARSIUS BODR.

II.

MEnſis & ſupra abiit ex quo Generoſus Dominus à Sau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ry Norimbergâ tranſiit. Colloquium tuum valde expetebat & fratris: ſed uterque fortè aberatis. Nunc iterum eum ad vos res, quas tractat, deducunt. Sperat quod tum per abſentiam veſtram non licuit, futurum nunc, commodo veſtro, ut colloquio & ſermonibus veſtris perfruatur. Ego verò, hac ſubita occaſione oblata, ſalutare vos & de Generoſi Dn. à Saury ad vos profectione, certiores reddere volui. Plura, ut ſpero, intra triduum coràm. Vale Clariſſ. Domine, cum Magnif. Dn. Baumgartnero & cum Clariſſ. Domino D. Philippo. Coburgo, 16. Maji. 1590.

III.

ETſi de ſtatu rerum noſtrarum nihil valde certi habemus: Tamen ipſos rumores, aliâs fortè compertos tibi, ſcribere pla-

placuit. Rex, poſtquam pellicere ad prœlium nullis rationibus Parmenſem poteſt, & paulatim irrepere in exercitum otioſum morbos, & inopiam: aliud capiendum ſibi conſilium duxit. Itaque probè munitis oppidis & caſtellis atque pontibus circa Lutetiam, Ducem de Longavilla cum Dn. de la Noue, & parte copiarum mittit San-Quentinum verſus, ut fines Belgicos obſidentes, commeatum è Belgico prohibeant: quod hactenus ceſſit feliciter. Partem aliam copiarum verſus Campaniam mittit, ne quid fortè è Burgundia & cæteris illis locis adveheretur Lutetiam. Ipſe cum expedito milite circa Lutetiam ipſam volitat; ita & valetudini conſulit & victui: & maximè Picardiam obſervat, nequid ex præcipuis illis urbibus quas in illa provincia pleraſque tenent ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſtes, auxilii Lutetiam importetur. Ita nova ratione & Lutetiam ipſam & Parmenſis exercitum obſidet. Jam ineunte hieme, quid conſilii de externis accerſendis auxiliis capturus ſit, dubito. Ea quidem ſi parata eſſent, certam, aut valde fallor, de hoſte victoriam darent. Sed ſi parari primùm debent, tempus abit longum: & antequam collecta ſint, confectum penè in Gallia erit, quicquid confici per hanc tempeſtatem poteſt. Legati Principũ, hîc hærent. Wirtzburgicus Præſul, ad Parmenſem hominem ablegavit, qui certa referret. Credo, ut ex illo ſtatu, hîc ſibi conſilium capiant. Interim non ceſſant hoſtes: conſcribunt in Germania, ubi licet, copias quantas poſſunt. Omnia illi certè & prudentius & ardentius adminiſtrant, quàm hi amici noſtri. Sed de illis, Deus vide-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

viderit. Cui Opt. Max. & Regem noſtrum & te cum fratre commendo. Adjunctas peto ut cures ad Peucerum. Vale Clariſſ. Domine. Francof. 3. Oct. 1590.

IV.

IGnoſce, quod te ſalutem rarius: & quotieſcunque id facio, appono tibi onus curandi litteras ad Peucerum: quod tibi, ſcio, gratum eſſe onus. Tu verò viciſſim, ne parce operæ meæ. Sed ne ſteriles ad te litteras meas judices, appoſui narrationem Gallicam de rebus noſtris ex quo Parmenſis Regnum ingreſſus eſt. Addo & nova quæ habemus ex Lingonibus. Nobilem adveniſſe à Rege, qui nuntiet, Parmenſem amiſſa dimidia copiarum parte terga vertere, & Belgium cogitare. Regem inſequi, auctum milite Anglo, & confeciſſe de extre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

mis pleroſque. Pariſienſes pæne ad deſperationem adactos, miſiſſe ad Regem de pace: paratos ſubire juſtum jugum: nec detrectare quicquam. Mænium deſtitutum à Parmenſi, convocare ſuos undique, ut niſi in gratiam recipiatur à Rege, habeat, quo tueri ſalutem ſuam poſſit. Hæc ille: bona nimis: utinam tam certa. Quæ ſi ſemel audiunt Principes veſtri, jam deponent cogitationem omnem de auxiliis: & profligatum Parmenſem, confectum Mænium, deditam Lutetiam dicent. Artes non norunt hoſtium, nec animos. Hæc ad te familiariter. Sed expilatam pænè Lutetiam narrant, Cajetanus hac tranſiit ante ſeptimanas tres, ignotus: trahens onuſtos equos quamplurimos. Nemurſius ad 300. currus pretioſiſſimis rebus refertos Lutetiâ Lugdunum verſus

ſus amandavit. Idem Guiſia & Nemurſia, fœminæ fecerunt. Sed has ajunt cum bona Regis veniâ exceſſiſſe Urbe: quæ mihi ſanè non urbs ſed cadaver urbis videtur. Et feret æternùm, ni fallor impreſſa iræ Divinæ ſtigmata: in quæ intuentes, diſcant mortales Deum timere & colere. Cui Opt. Max. te commendo cum optimo fratre. Baſileâ 28. Octobris, 1590.

Gen. Dn. Saurius valet: diſcedendi certus, ſed quà, incertus. Magnif. Dn. Baumgartnerum & D. Nutzelium ſaluto officiosè.

V.

RHedâ vix exſcendi, cùm calamum ſumpſi, ſcripturus ad te raptim, quæ ut arbitror, vobis nec ignota ſunt. Diem ſuum obiiſſe Pontificem. Nimirum ca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

lamitas fatalis Pontifices urget: quæ utinam & Papatum ipſum. Et urgeret ſanè, niſi noſtri ſeſe ipſi mutuò lacerarent volentes. Quæ ſit Theologorum in Miſnia & Saxonia (& ubi non?) rabies, palam eſt: nec illi occultos eſſe furores ſuos patiuntur. Maſſiliam affirmant in Regis poteſtatem ſe dediſſe: & cæſum à Lediguierio Sabaudum. Regem cuniculis Montem San-Catharinæ ad Rothomagum, ſubruere aggreſſum: Interim conſcriptis è toto Regno (exceptâ Britanniâ) copiis, ita ſe comparare, ut nec obſidionem ſolvat, & Parmenſi occurrere ſatis valida manu poſſit. Sed me ut adveni, rumor inopinus verberavit, de Ducis J. Caſimiri Palatini obitu: quem ajunt exceſſiſſe VI. Januar. Habebunt & hic Theologi rabulæ, quod exſultent & inſultent. Quid faciamus? Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

moribus noſtris promeremur nec dignum fato meliori hoc ſeculum. Nos mentibus & precibus eò conſcendamus, unde originem nos ducere, ipſi etiam Ethnici cognoverunt. Clariſſ. Domine vale cum Ampliſſ. Dn. Baumgartnero, & Dn. Nutzelio & fratre Philippo. Me anhelitus vexat oppreſſis pulmone & pectore viſcosâ pituitâ. Francofurto XII. Jan. 1591. Quem ego tibi tuiſque annum fauſtum precor & felicem.

VI.

BInas abs te accepi Dreſdæ, cum unis Peuceri, ἑώλους quidem illas: ſed nihilominus gratas. Miſſæ, ni fallor, à vobis Baſileam, ſubſecutæ ſunt veſtigia mea: & me hic tandem aſſecutæ. Recepiſſe me eas, putavi tibi ſaltem ſignificandum. Nam ſcri-

bendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

bendi argumentum mihi aliud nullum eſt. Nova Gallica à vobis perferuntur huc. Et hæc natio nihil ipſa profert novi: utinam nec noſtra Gallia, quæ jam ab aliquot annis longè poſt ſe relinquit Africam. Pictavium à Regiis occupatum hic ferunt: utinam verè: & premi Lutetiam: & laborare valdè Sabaudum. Cæterùm, quod fortè à me exſpectas, Vicecomes Turennius cum Cognetio Tulleriano noſtro, & Palavicino, Magdeburgum ſalvus attigit. Hoc unum tibi, ut ſpero, & novum erit & gratum. Mihi in hoc receſſu, jucundiſſimi fuerunt cum Zündelino ſermones. Unus hic mihi inter multos prudentiæ eloquentiã junxit, eloquentiæ urbanitatem. Sed ſermones illius hauſi parciùs: quia graviſſimis occupatum negotiis, avertere religio erat. Julus verò no-

noſter, (cum quo colloqui mihi aliquoties datum eſt) non altera, ſed unica ſpes noſtra, verè vir eſt. Supra ætatem ſapit, ſed ſapientiam non inflatam illam & tumidam, ſed ſolidam plenamque. At illum nobis Deus vitalem ſinat. Jac. Brocardum, bonum ſenem, & olim florente ætate, inter doctos politiores, hoſpitio à Rep. veſtra ſuſceptum, audivi & vidi nuper apud vos lubens: & debeo eo nomine Magnif. Dn. Baumgartnero. Theſaurum vos vobis in cœlis reponitis. Si quæ fortè in manus tuas venerint mihi inſcriptæ litteræ, quæſo te, Clariſſ. Domine, cura eas huc ad D. Zündelinum. Habes epiſtolam brevem, ſed variam: quam finio ſollemni verbo, Vale: & Ampliſſ. Dnn. Baumgartnerum & Nutzelium cum Clariſſ. Dn. D. Philippo ſaluta à me. Dreſdâ raptim 3. Febr. 1591.

VII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

VII.

SCripſi ad te Dreſdâ. Spero redditas tibi litteras. Ex eo fuerunt apud Sereniſſ. Electorem Illuſtriſſimus Turennius & Dn. Palavicinus. Diſceſſerunt Turennius in Marchiam, Palavicinus huc, quantum ego quidem judico, ſpe bona repleti: ſi qua ori fides, res ſalvæ ſunt. Ego febriculâ tentatus, & vexatus tuſſi graviſſima, liberavi me profectione Marchica, Dominũ Turennium hîc expectaturus. Parmenſem ajunt parare ſe ad expeditionem Gallicam. Omnino illi & promptiores & vigilantiores ſunt noſtris. Scis quantum in occaſionibus ſitum ſit: maximè in bellica re: in qua pœnitentiæ niſi extremæ locus non eſt. Fui heri cum Peucero noſtro: iſte ſalutat: idem & Bronnerus facit.

Peu-

Peucerus dat nobis Commentarium de Divinationum generibus, emendatum, auctumque. Vale Clariſſime Dom. & ſalve, cum fratre ſuaviſſimo. Halâ Sax. pridie Kal. Martii. 1591.

VIII.

HAnc te ſalutandi occaſionem amittere nolui. Illuſtr. noſtrum Turennium reliqui Halæ. Ego ad Brunſvvicenſem præmiſſus ſum. Salva, ut ſpero, omnia. Niſi quod nos omnino Parmenſis præveniet. Jam enim pœnè in procinctu ajunt eſſe. Præſidiis nudaſſe urbes in Belgio pleraſque: earumque muros diruiſſe. Serio rem agunt: & omnino hoc agunt. In nobis neſcio quæ fatalis lentitudo. Sat citò tamen omnia, ſi ſat benè: & cum Deo. Carnutum obſidere Regem ajunt: alii Laudunum incluſiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſiſſe Mænium, poſt ejus fuſas copias. Sed iſta apud vos certiora. Tu verò vale & ſalve cum Magnif. Dn. Baumgartnero, Dn. Nutzelio & Clariſſimo D. Philippo. Raptim Adamſteti ad Halberſtadium. 8. Martii. 1591.

IX.

Litteras tuas ſcriptas 5. Maii, accepi. Et agit quidem tibi gratias Illuſtriſſ. noſter pro bona & fideli illa opera tua. De litteris ab Electore, agit Aſcanius. Sed cuperemus Francofurtenſes à veſtris moneri de officio: non autem dimitti cum generali reſponſo. Erit enim res mali exempli: cum aliæ civitates judicabunt, veſtris ceſſantibus, nec ſibi faciendum quicquam. Nuncius ex Miſnia, quantum intelligo, inde eſt, quòd illi de quibus res eſt, iniqua petebant pleraque, ad quæ con-

conſentire Iulus nec volebat nec poterat. Nec dubito quin maligni quidam ſpiritus turbare conentur negotium hoc totum. Sed res tandem tranſacta eſt feliciter. Et ſcribit ad te aut ad D. Baumgartnerum Julus ipſe. Novi nihil habemus. Præfecti noſtri, Donavius, Creangius, Berbeſtorſius hinc diſceſſerunt 9. Maii, ad militem cogendum. Vale Clariſſ. Domine & ſalve cum Magnif. Dn. Baumgartnero D. Nutzelio, & D. Philippo fratre. Deſſaviâ 13. Maii. 1591.

X.

EX Daniâ redux, oblatam hanc te ſalutandi occaſionẽ nolui amittere: ſimul quæ Hamburgo tranſiens cognovi, ſignificandi. In Belgio Ordines cum Mauricio Comite Zutfanium & Daventriam occupaſſe comperiſti:

riſti: Addunt & Noviomagum: & ad Groningam exercitum promovere. Habent in exercitu 2000 equitum, peditum 10000 & tormenta majora 30. Rex Chriſtianiſſ. Louviers oppidum in Normandia munitiſſimum & opulens cepit, pleno meridie à quodam cive ipſemet intromiſſus, Præfecto, captum à ſe oppidũ ipſe primus nunciavit. Is erat Fonſmartellus, factioſus homo, & inter capita ſeditionis: antea captus à Rege, & clementer dimiſſus. Hoc poſtremum novum arbitror vobis erit: quòd cùm primum Hamburgo diſcederẽ, appellebat eò navis Diepâ, quæ ſecundo vento hoc nuntiabat. Vale Clariſſ. Dn. & ſalve cum Dn. Baumgartnero, D. Nutzelio & Philippo fratre. Raptim Brunſvvigâ 14. Junii. 1591.

XI.

XI.

TUas ſcriptas 13. Maii accepi tardius, propter abſentiam in Dania meam. Brunſvvigâ ad te ſcripſi feſtinans. Et voluntatem quidem tuam in nos reſque noſtras probaſti nobis prolixè. cui utinam ut animo reſpondemus, ita reſpondere poſſemus reapſe. Francofurtenſes ſegregant ſe cum Spirenſibus & Wormatienſibus à cæteris :' Inopiam Reip. cauſantur. Et mihi videor, à morte Georgii Weiſs, qui nobis egregiè favebat, notare illos publice privatimque à nobis neſcio quomodo alieniores. Sed abſit, ut ab illis rerum momẽtum pendeat. In Gallia, Regem in Normandia non procul Rothomago eſſe, fama eſt. Helvetii Pontificii in procinctu ſunt, & in Mediolanenſem agrum contendunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

dunt, adjuncturi ſe Italis, qui ad xv. Julii ſt. n. iter ingredientur. Monitoriales litteras Pontificis vidiſti : & vidiſti unà hominis inſignem impudentiam, qui de bonis benè loqui vetet : miror, quin & benè ſentire. Hoſtes in Imperio militem conſcribunt, peditem equitemque quantum poſſunt. Et abduci ſe pleriq;, ſpe ſtipendii amplioris & certioris patientur : quicquid principes prohibeāt. Illuſtriſſ. noſter Turennius Argentinam heri profectus eſt, Ducem Caſimirum in tranſitu ſalutaturus. Dominus Cognetius ſcribit ad te, & petit ut ei cures quę in adjuncta ſchedula perſcripta ſunt : Kuchenmeiſterus pretium exſolvet. Dominus de la Riviere tui amantiſſimus eſt & te ſalutat officioſè : litteraſque à te expectat, & complecti te coràm exoptat. Clariſſ. Domine D.
vale

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

vale & ſalve cum Dn. Baumgartnero & Dn. Nutzelio & Clariſſ. fratre. Francof. 22. Iunii, 1591.

XII.

STatim à reditu meo ex Dania, dedi ad te literas : quas tibi redditas ſpero. Illuſtriſſ. Dn. Turennius Argentinâ nondum rediit : fortè in viciniam veſtram excurſurus. Interim impetrato à vicinis Principibus & civitatibus, commeatu libero, omnia hîc ad excipiendum militem noſtrum comparantur. Et prope adeſt dicta dies. Nec ceſſant hoſtes. Tranſeuntem hac peditem qui in Belgium properat, quotidie video. Et apparatus Italici vobis noti ſunt. Sfondratam Ducem & Parmenſem invaletudine laborare ſcribunt. Et Sabaudum tamdiu abeſſe domo demiror. Aſculanum Principem ſe in Galliam

liam comparare, confirmant Belgicæ litteræ. Regem de obſidendo Rothomago cogitare, quidam ex ipſius Regis in Normandia diuturniore mora veriſimile reddunt. In Armorica ab Hiſpano vindicanda Angli terra marique bonam operam præſtant. Vos, ſiquid habetis quod ſcire noſtra interſit, communicate. Vale Clariſſ. Dn. D. & ſalve cum Ampliſſ. Domino Baumgartnero & Domino Nutzelio, & Clariſſimo fratre D. Philippo. Francofurto 29. Iunii. 1591.

XIII.

RESponſum ad binas tuas debeo: nec eſt quod tibi pro iis rependam. Rediit ad nos Illuſtriſſ. Turennius. Princeps Anhaltinus Fridebergi eſt. Miles undique confluit. Et unà erunt, ut ſpero, ad 17. hujus: quà iter facturi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ꝺturi ſint, nec ipſi Duces adhuc conſtituerunt. Interim in Treveris tumultum excitavit miles Templii, quem Aquis per Treverenſem ditionem cis Rhenum deducit. Impedito itinere, ut ipſe ſcribit, vi expugnavit Carden & oppidum aliud. Querelę hîc legatorum Principum Rhenenſium graves, quas ut ſpero component noſtri. Parmenſis eſt ad Noviomagum, & caſtellum noſtratium tentat. Hollandi ad Groningam caſtella duo expugnarunt & obſident Steenvvijck, ut quidam ſcribunt, ut alii, Vollenhove. Prout hîc noſtra ſuccedent, faciam te certiorem. Non poſſum non effundere in ſinum tuum, quàm premãt me graviter ii, de quibus conquerentem olim audiviſti patronum boni illius ſenis, quem Reſpubl. veſtra hoſpitio excepit. Hoc agunt ut me his locis pellant.

Et conſtitui ſanè liberare illos ſollicitudine iſta: atque, niſi ceſſant, commigrare aliò. Vale Clariſſ. D. & ſalve cum Magnif. Dn. Baumgartnero & Nutzelio, & Clariſſ. Dn. D. Philippo. Francofurto 11. Iulii. 1591.

XIV.

TUas mihi Kuchenmeiſterus reddidit. Quæ ex Belgio habemus, ea ad te mitto cum his: in quibus, hoc falſum, Parmenſem Bruſſellas revolaſſe: circa Noviomagum ajunt ſubſiſtere, Rheno, aut Vahali interjecto. Italica vos habetis. Exercitus noſter ad Rheni ripam promotus eſt, exſpectans donec recēſeatur, quod ut ſpero, fiet intra biduum: inde Rhenum trajecturus. Dux ipſis Deus adſit; abſque eo nihil agimus. Moleſtias quas mihi quidam exhibent, fero: & cum Deo, ſupe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſuperabo. De conventu quem Oeniponti habendum ſcribis, ſi quid præterea habes, ſcribe: & vale cum Ampliſſimo Domino Baumgartnero, & Dn. Nutzelio, & fratre Clariſſ. Domino Doct. Philippo. Illuſtriſſ. noſter vos omnes ſalutat. Francofurto. 28. Iulii, 1591.

XV.

VLtimo Julii & primo Auguſti, miles Germanicus luſtratus eſt. Equites ad 5000: pedites ad 6000 inventi. Præter hos ad 3000. peditum ducunt Rebuſius & Templius, & equites 200. Frentrius & Iſſelſtenius & quidam alii equites circiter 1000. Heri cœperunt Rhenum tranſire, in loco cui nomen Walloff, paullo infra Moguntiam. Parmenſis eſt ad acidulas Spaenſes: & properare ajunt in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Galliam. Rex Galliæ Anglorum 4000. peditum recepit cum equitibus Nobilibus 300, Dux eſt Eſſexius Comes, qui & Bombardas aliquot majores cum apparatu omni deducit. Noviodunum in Picardia occupatum à Rege, ſcribunt. Vale Clariſſ. Domine Doct. & ſalve cum amicis. Siquid habes, mone. Raptim Francofurto 3. Aug. 1591.

XVI.

Litteræ tuæ cum ſchedis de reditibus Turc. & Hiſp. redditæ mihi ſunt. Miles noſter ad diem VII. hujus menſis, trans Rhenum progredi cœpit Creutznachum verſus. Parmenſis ad fontes illos Spaënſes ſubſiſtit, ut ajunt, iter in Galliam apparans. Militem ſuum convocat partim circa Lingen, partim circa Kerpen, partim in agro Lutzenburgico.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

gico. De Novioduno à Rege occupato rumor eſt : oppugnari conſtat. Angli ad 4000. millia peditum & 300. equites ſolverunt Londino circa finem Iulii, Duce Eſſexio. Quo ferè tempore & Pontificius exercitus ex Mediolanenſi agro promovere cœpit verſus Sabaudiam. Præfectus arcis quam vocamus la Tour dif, ad Maſſiliam, pecunias & bellica tormenta accepit ab Hetruriæ Duce. Mauricius Comes obſidionem Noviomagi parat. Picturam eorum quæ ad Noviomagum nuper geſta ſunt, hiſce addidi: quam poſtquam videris, peto ut mittas cũ litteris ad Waldenfelſium. Dominus Saurius valet, & in aula verſatur gratioſus: Ternas ab eo ex aula accepi. Vale Clariſſ. Domine Doctor, & ſalve cum amicis. Francofurto 9. Auguſt. 1591. Dominus de Freſnes

ſalutem tibi adſcribi juſſit ſuo nomine.

XVII.

EXercitum noſtrum Saram ſuperaſſe non dubito, & verſari hodie in Lotharingia. Lotharingus quantum intelligimus, cõtinere ſe munitionibus decrevit. Venerunt enim ex Nobilitate Lotharingica non pauci, ducibus noſtris obviam, cum muneribus, petitum, ut arcibus & pagis parceretur: ſaltem incendio abſtinerent. Deus dirigat cuncta & fortunet, pro ſumma benignitate ſua. Ex Belgio nihil habemus valde certi: niſi quod fert hic tabellarius Antverpiâ. De Novioduno non conſtabat occupatum: ſed cæſas manus complures, quæ auxilium obſeſſis ferre conabantur, conſtat: inter eos captum Tavanium ferunt, præcipui nominis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

minis inter Conjuratos. Maximilianum veſtrum parare in Galliam expeditionem ajunt, cum innumeris copiis. Exercitus Pontificius, niſi fallor, jam ad Lugdunum erit: niſi fortè Taurino Burgundiam petiit: quod Genevenſibus non levem terrorem adfert. De Parmenſi varia narrant: ſed in Galliam ſe comparare nemini dubium eſt. De Mauricio Comite nihil: niſi poſtquam Arnhemii fuerit Geldriæ & Zutphanii præfectus declaratus, obſeſſum iturum Noviomagum, cujus cives militem à Verdugone intromittere noluerint. Extractum Marrubii ad ℥ ß. cum tuſſilaginis conſerva ſumptum, Aſthmaticis mederi, amicus quidam ad me ſcripſit. Ego mihi ab iſto morbo timeo. Sentio enim jam ſeptimanas aliquot reſpirandi difficultatem non parvam, ſine tuſſi. Tu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſi judicas, è valetudine mea eſſe, &, ſi Pharmacopæi veſtri paratũ habent, mitte per Calandrinum drachmas aliquot, & adde, ſi placet, judicium tuum. Calandrino pretium reſtituam. Vale Clariſſ. Dn. D. & me ama. Magnif. & Ampliſſ. Dominos Baumgartnerum & Nutzelium, Clariſſ. Dn. Philippum fratrẽ peto ut ſalutes verbis meis. Francofurto 18. Aug. 1591.

XVIII.

TUas accepi longè gratiſſimas, cum extracto Marrubii & glycyrrhizæ: pro quo ſummas tibi ago gratias: pretium ut ad me perſcribas peto. De rebus noſtris pauca, eaque incerta. Metis erat exercitus noſter ad diem 23. Auguſt. Tendebat Cathelaunum (Chaalons nos dicimus) de Regis mandatu. Regem autem Sedani Virgo Dux Bullio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

næa exſpectabat Cal. Sept. Ita non dubito quin Rex jam receperit noſtros. Quid conſilii agitet, divinare non poſſum. Exercitus Pontificius in Burgundia multum imminutus dicitur: dilapſi Helvetii, Itali etiam plurimi. Sed equitatus quem prædicant 1500 & amplius cum aliquot millium peditatu, ut ajunt Lotharingiam attigit. Helvetii, Solodurenſes & Friburgenſes militem mittunt in Burgundiam, auxilio noſtris: Bernates vero Baſilienſes & alii Religioſi, ſcilicet! retrahunt ſe militiâ. Schonbergio obſtitit hactenus quominus progrederetur Pontificius ille exercitus: Hoc jam remotum impedimentum ſpero. Is poſtquam ſeſe Aumontio Mareſchalco conjunxit & Helvetii advenerint, habebit ſatis validum præſidium Burgundia. Vale Clariſſ. Domine,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

& brevitatem excuſa: ſcribam plenius proxima occaſione. Francof. 8. Sept. 1591. Salutem amicis.

XIX.

AD poſtremas tuas, ſcriptas 30. Auguſti, reſpondi raptim. Pro Caroli IX. Vita habeo gratiam: viſa mihi erat antea. Auctor eſt Papyrius Maſſonus, is qui Annales Francorum ſcripſit nugaces, & nuper vitam Cujacii, quam ad Clariſſ. fratrem tuum mitto. Reſponſum non meretur: ſed qui edidit Chytræus, Satyram meretur, imò, ſi rectè judico, & ſcuticam meretur: qui indigna ætate ſua, indigna profeſſione committit, lucrum captans è libellulorum quoruncunque editione temeraria. Dei divina judicia piè notas in mortibus quatuor Regum noſtrorum; quibus adde & Antonium Regem Navarræ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

varræ, noſtri patrem, & globulo ictum ad Rothomagum, dum Guiſio ancillatur, vana ſpe Sardiniæ ab Hiſpano illectum: & Alenconium Franciſcum, qui contra fidem male habitis optime de ſe meritis Belgis, dum totus turbandæ rei Chriſtianæ incumbit, obiit ſanguinem eructans: & veneno ſublatum, non eſt quod dubitemus. Et lubet ſperare majora: & illud repetere, quod ſæpe dixi, ſcripſi, *Videbunt juſti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.* Hîc vero, Clariſſ. & prudentiſſime D. effundam in ſinum tuum amicum & candidum, quæ me ſæpè agitant, nec turbant tamen. Repete & noſtros Duces qui armis ſuis Religionem prætulerunt. Videbis victos veſtros à Carolo V. captoſque & affectos contumeliis, privatos etiam bonis. In Gallia, ca-

ptum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ptum primo bello Condæum, tertio occiſum: Amiralium ſemper victum, tandem trucidatum, cum magna procerum turba. In Belgio, Auranium itidem globo proſtratum. Et cauſas quidem videtur mihi nonnihil aperuiſſe commentatio illa ad Anhaltinum, quem ad te mittebam ante ſeptimanas aliquot. Certè judicare aliud non poſſum, quàm ingrata illorum arma Deo fuiſſe. Sed Rege noſtro duce, novam rerum faciem, novos ſucceſſus vidimus. Habes, quod examines. De exercitu noſtro nihil, quod mireris, niſi ex rumoribus. Ad Verdunum ajunt fuiſſe ante octiduum: & quidem agitaſſe de eo obſidendo. Caſtella, arces, oppida obvia omnia cepiſſe, niſi quæ munitiora fuerunt, & diripuiſſe. Regem fuiſſe Catalauni, Chaalons: qui copias ſuas commiſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

miſerat Bironio. Eum præparare omnia ad Rothomagenſem obſidionem: & occupaſſe jam Caudeber, quod eſt oppidum infra Rothomagum, aptum impediendæ navigationi. Neſcio quot urbes in Picardia deditione in Regis poteſtatem veniſſe ſcribunt etiam Rothomago: Ego hæreo. Lotharingus Pontificium exercitum recepit. Itaque jam Schonbergio via aperta eſt. Scis Lingonum urbē in magno fuiſſe periculo. Lotharingus noctu acceſſerat cum copiis ſuis, militem in ipſa foſſa locaverat, machinam bombardicam, quam *Petart* vocamus, portæ applicuerat, civibus jacentibus & ſepultis. Sed fefellit machina: itaque conatus omnis fruſtra fuit. Helvetii Euangelici, ad exemplum Pontificiorum Solodurenſium & Friburgenſium, qui etiam ſoli militare
parati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

parati erant, videntur exſurgere. Parmenſis eſt Bruxellis. Filium ajunt recipiendum in arcem Antverpianam, quo nomine, aut quo conſilio, latet. Hæc fere ſunt quæ habemus. Mauritius Lavvenburgenſis pedites ſuos cogit prope Bremam in oppido Tervecht, quod occuparunt & diripuerunt. Equites Weſtphali conveniunt ad Carpen, infra Coloniam. Eckenbergius hac tranſiit. Vale Clariſſ. Dn. & ſalve cum amicis. Francofurto 15. Sept. 1591.

XX.

QUæ hîc nova ſparguntur, ea nuntiabit Calandrinus. Incerta quidem illa: optanda tamen, & quæ ominis vicem accipio. Fuſum fugatumque à noſtris Lotharingum cum copiis Pontificiis. Deditum Verdunum: obſeſſos Remos. Submiſſionem Re-

gi

gi factam à Guiſio qui nuperrimè cuſtodia Turonenſi evaſit. Hæc, ut dixi, incerta. Hoc certum, Ordines Belgicos, Mauricio duce, in Flandriæ partem eam quæ dicitur Waaſz, irrupiſſe: militem ad ejus partis cuſtodiam conſtitutum cecidiſſe: Caſtellum S^t. Iehan-Steen cepiſſe: Hulſt, primarium oppidum obſidere: & deditum quidam ſpargunt. Suſpenſi hæremus, exſpectantes quorſum tandem apparatus hi deveniant. Ego ſpero omnino, brevi nos magni quid accepturos. Summus rerum omnium moderator Deus, ita cuncta moderetur, ut qui bella volunt, aluntque, confundantur. Vale Clariſſ. Dn. D. & ſalve cum Clariſſ. fratre & Ampliſſimis D. Baumgartnero & Nutzelio. Francofurto 20. Sept. 1591.

XXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

XXI.

Litteras tuas, Vir Clariſſ. cum adjunctis ad Lipſium, accepi: & has quidem curabo per Cluſium. Acerba nobis Illuſtriſſimi Electoris mors accidit: Sed vetus hoc Eccleſiæ, humana præſidia tum amittere, cum maximè iis confidimus. Bonum igitur, ſoli Deo confidere, qui immortalis, æternuſque, æternam certamque ſuorum curam gerit. E Gallia nihil omnino, quod confirmare poſſim. Nam illa ad Gratianopolim, vobis nota. Ad filium binas curavi, & Dn. Cognetio commendavi. Mauricium comitem, Noviomago obſidionem minitari certum: quidam hodie & deditionẽ factam ſpargunt. In Parmenſis conſiliis cœcutio. Omnino ingens aliquid & memorabile pauci dies dabunt. Vale

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Vale Clariſſime Domine & ſalve cum amicis. Raptim. Francofurto 13. Oct. 1591.

XXII.

AD ultimas tuas reſpondi. Tu vero, ad id minimè quod quærebam abs te de doſi Extracti Marrubii, quod Pharmacopæus liquidum miſit, non ſolidum: & an miſcere cum Conſerva Tuſſilaginis expediat. Admonitionis ad Anhaldinum exemplar mittam ad te per amicum. Papam fuiſſe, aut animam agere, conſtat. Rex circa Sedanum cum exercitu verſatur, inhians copiis Lotharingicis, quæ ſe Veroduno continent: & Parmenſis adventum exſpectans. Interim Rothomagenſe negotium Bironio commendavit, qui Gournæo capto, quod eſt ſupra, & ut quidam, Caudeber, quod eſt infra Rothomagum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

magum, Urbem obſeſſam tenet. Longum tempus hoſti conceſſum, quo ſe ad obſidionem ferendam compararet. Talant, arx Divioni imminens, deditione in noſtrorum poteſtatem venit. Archiduces veſtri, Erneſtus & Maximilianus in Polonia repulſam paſſi, Regnum noſtrum ambiunt, & alterutri electo filiam Hiſpanus deſpondet. De Noviomago dedito certa fama. Currentes hi Ordinum ſucceſſus, & Pontificis lethalis invaletudo, fortaſſean Parmenſem teneant in Belgio. Clariſſ. Domine Doct. vale & ſalve cum Magnif. Dn. Baumgartnero & D. Nutzelio & Clariſſ. Domino Doct. Philippo fratre. Francofurto XIX. Octobris, 1591.

XXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

XXIII.

TUæ, ſcriptæ Cal. Nov. redditæ mihi ſunt ante biduum
eſſaviæ. A filio litteras attuli in
ulam Anhaltinam incluſas faſci-
ulo Peuceri noſtri: is eas indu-
iè ad te curavit. Ipſe Peucerus
b Illuſtriſſimo Anhaltino ad Il-
uſtriſſimum Landtgravium able-
atus eſt. Quæ hic gerantur, ea ru-
noribus facilè comperiſti: & hos
omines, audio quæ licenter fa-
iunt, nolle ſcribi ab aliis licenter.
Gundermannus, ante paucos
lies arci incluſus, duriter aſſer-
vatur. Adjunctas, ſiquid de Do-
mini de Freſnes adventu ad vos
cognoviſti, peto ut aſſerves do-
nec ad vos venerit. Sed ſi in vi-
cinia noſtra certiſſimò eſſe com-
pereris, ut ei mittas tutò. A-
lias ad eundem Illuſtrem Do-
minum Legatum Kuchmeiſtero
com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

commendavi Anſpachium mittendas. Pezelium apud vos eſſe audio: Salutem ei dico: & moneas quæſo, aliam ſibi viam, Bremam rediturus, quærat. Scripſiſſem ad eum, ſi vacaſſet: ſed mone, quæſo, diligenter. Clariſſ. Domine, vale & ſalve cum Clariſſ. viro Dn. Doct. Philippo. Lipſiâ 20. Nov. 1591.

XXIV.

MOleſtus tibi litteris meis fui ſæpius, nec ceſſo. Illuſtrem Dominum Legatum, Dominum de Freſnes, ſpero apud vos eſſe: aut ſaltim in vicinia veſtrâ, reducem. Si quid de eo comperiſti, peto ut id ſignificandum Domino Calandrino cures, quò litteras, quas ei commendavi, ad certum locum deſtinare poſſit. Hic nihil novi, niſi fortè ut olim, in Africa. Zundelius noſter,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

noſter, quantum à D. Brumero intellexi, Dreſdæ hæret, quod ipſe facilè intelligis, invitus: Miſſionem flagitavit, flagitat: Ajunt, vixiſſe cum Cancellario, communicaſſe cum eo conſilia Cancellarium: ideo dimittere non poſſe, niſi causâ Cancellarii tranſactâ. Brumerus Halam rediit, cum bona illorum veniâ, volens: ſalva etiam dignitate Medici Electoralis: operam commodaturus, quotieſcunque conſuletur aut evocabitur domo. Peucerus, Caſſellis eſt: ab eo te ſpero accepiſſe litteras filii è caſtris. Illuſtriſſimus Dominus Turennius poſtremis ſuis ad me, te cum fratre Domino Doctore Philippo plurimum ſalutat. Nos hic ignorantiâ eorum quæ alibi geruntur, certè areſcimus. Vale & ſiquid certi novique habes, fac nos participes. Magnif. Dn. Baumgart-
nerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

nerum & Dn. Nuzelium & Cla-
riſſ. Dominum Doct. Philippum
ſaluto officioſiſſime. Lipſiâ, I V
Decemb. 1591.

XXV.

EGo vero, Clariſſime Domi-
ne, Tuam de valetudine mea
ſolicitudinem, uti debeo, am-
plector: & pro ea gratias tibi ha-
beo, quas debeo, maximas. Qui
tibi has reddet D. Bernhardus à
Portu, vir bonus & pius, nec rei
Medicæ imperitus, & Chymicæ
benè doctus, aget de ea tecum, ſi
tantum tibi otii à quottidianis
occupationibus tuis. Eum virum
bonum & pium, commendo hu-
manitati tuæ. Ex Galliâ nihil è
caſtris habemus. Amicorum è
Belgio litteræ docent Regem po-
titum foſſæ margine & propu-
gnaculo quodam ad arcem San-
Catharinæ, relicto in obſidione
Mont-

Montpenſerio & Bironio, obviam Parmenſi profectum, prœlium agitantem animo: cujus vereor ut poteſtatem faciat Vulpecula. 2000 ſecum abduxit equitum noſtrorum, & Germanorum 3500: cum peditatu expedito magis quam numeroſo. 2000 noſtrorum equitum exſpectabant in horas: & ad prœlii ſpem advolabat Nobilitas. Diſceſſerat Sedano in eam rem feſtinus Dux Bullionii, qui te & fratrem & Ampliſſimos Dominos Baumgartnerum & Nutzelium ſalutat poſtremis ſuis. Pax in Belgio nõ processit. Berneſtanum ajunt ex Legato factum præfectum militarem. Meminiſti Fabios cum Legati populi Rom. ad Gallos, arma in eos ſumpſiſſent ad quos erant Legati miſſi, Romam properandi occaſionem dediſſe Gallis. Belgæ res noſtras ſtrenuè juvant, anno-

nâ,

nâ, milite, pecuniâ: & juvant constanter. Papam ajunt factum Clementem VIII, qui antea Cardinalis Aldobrandinus Florentinus. Hiſpanus pacem cum Turcis aut inducias certas tractat. Cui bono, facilè intelligis. Sabaudus in Provincia labaſcit. Elector Princeps Palatinus ſupra ætatem Virum ſe probat, animo & mente conſtans. Deus Germaniæ noſtræ Principes ſuſcitet prudentes & fortes: & ſervet nobis Reiq; publ. ſi quos habetis. Litteras à filio miror non redditas. Peucerus Caſſellis adhuc verſatur. Zundelinus Heidelbergam proficiſcitur hodie. Eum ſalutavi abs te. Addam de Valetudine mea quædam externa, quæ tibi judicium de internis aperiant. Pandiculationes & oſcitationes crebras ſentio: Ructus frequentes: ſuſpiria, nullâ triſtitiâ, altè tracta: & quando-

que

que in gutture crocitationes. Sub auroram maximè, veluti torrente, inundari à capite totum corpus & gravari, ſcapulas inprimis & femina, & articulos pedum manuumque: Sed maximè premitur tota corporis pars dexterior. Quæ tamen omnia ſine dolore ullo acri. Laſſitudo inde univerſalis & aliquando torpor quidam. A cibo, quamvis parco ſatis, inflationem in regione ſtomachi. Renes oppreſſos veluti gravedine. Somnus facilis nec multum inquies: Manè ſub auroram aliquando ſudores ſpontanei. Sanguis & illa medulla corporis plerumque calens & perturbatior. Caput ſatis compoſitum, utpote quod ſe in partes ſubjectas exoneret. Ignoſce Clariſſime Domine, quod liberiùs ad te ſcribo & familiariter: teque ab ſeriis tuis, ad hæc nihili

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

abſtraham. Vale & me tanquam tuo utere abutere. Dominos Baumgartnerum & Nutzelium, & Clariſſ. Dominum D. Philippum ſaluto: & tibi ſalutem à Domino Legato dico. Francofurto 2 Febr. 1592.

XXVI.

SParſos de te rumores, tam ab ingenio tuo alienos miror. De Germanicis quibuſdam præfectis capite punitis & hic audivimus. Rumori cauſa ex ſeditione ab aliquot peditum manipulis cœpta, jam antequam Normandiam attigiſſent. Ea ſeditio, ut ex Regiis litteris cognovimus, in ipſis cunis, Principis Chriſtiani prudentiâ & diligentiâ, extincta eſt: eodem penè momento natam oppreſſamq; Rex comperit, cùm ad eam componendam profecturus, equum conſcendiſſet. Ad

Rotho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Rothomagum, auctores puniti, unus alterve, homines obſcuri. De prœlio commiſſo calidi undique ſermones: nihildum certi. Nec mihi perſuaſerim, Parmenſem adduci poſſe ut aperto Marti rem ſummam committat. Meminiſti eorum quæ certiſſima ſpargebantur, cum ad Lutetiam eſſet uterque exercitus: quæ poſtea vana comperimus. Rex ipſe certè prœlium quærit: nec ulla alia ſalutis noſtræ ratio. Bellum ſuſtinere diu non poſſumus temporariis fulti amicitiis, ipſi inopes, & exhauſti. Ad Rothomagum, abſente Rege & militiæ flore in Parmenſem converſo, lentè agitur: & laxam eſſe obſidionem ſuſpicor: cum oppida, Belgium inter & Rothomagum, omnia, Regi de via Parmenſis incerto, munienda præſidiis fuerint. Ego ſiquid habuero certi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

faciam vos de eo quamprimum certiores. De valetudinis meæ ratione ſi quid habes, communica. Labaſcit in dies. Et, niſi fallor, morbus ipſum ſanguinem & medias venas obſidet. Vale Clariſſ. D. & ſalve à D. Legato, qui & D. Baumgart. & D. Nutzelio & D. Philippo fratri ſalutem dicit, quibus meam adſcribo. Franc. 16. Febr. 1592.

XXVII.

SUſpenſi adhuc exſpectatione prœlii ſumus. Nec enim poſſunt duo hoſtiles exercitus diutius regionem commeatibus exhauſtam otioſi premere. Præter ea quæ ex adjuncta pagina cognoſces, poſt captum Neufchaſtel, ajunt regem, cum tardius adveniſſet, aliquot equitum turmas aggreſſum fudiſſe, Chrimæũ Principem captum & Comitem Chalignium (Frater is eſt Mer-

corii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

corii Ducis & Reginę Henrici III. viduæ). Nos proſperum eventum à Deo conjunctim precabimur, gnari ex eo veſtram noſtramque pendere incolumitatem. In vicinia veſtra turbare plebeculam audimus, ventis motam Theologicis. Homines impatientes otii negotium quærunt: & ni Deus ipſe avertat, ſibi aliiſque invenient. Sed tu Clariſſime & excellentiſſ. Dn. vale & ſalve ab Illuſtri Dn. Legato & à me, cum Magnif. Dn. Baumgartnero & Dn. Nutzelio & fratre Clariſſ. Raptim Francof. 22. Febr. 1592.

XXVIII.

POſtquam Parmenſis in Galliam introitum Rex cognovit, oppida omnia, quæ Rothomagum iter facienti occurrunt, præſidiis firmavit: ut hoſtis curſum ea ratione aliquandiu mora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

retur: dum advocata undiq; Nobilitas concurrit. Eſt autem iter è Belgio Rothomagũ duplex: Brevius unum & rectum, quod planum patenſque, equiti quàm pediti aptius eſt. Alterum ad Oceanum, longius, obſitum ſylvis, & collibus aſperum: itaque pediti quam equiti minus incommodum. Utrumque præſidiis obtinendum Regi fuit, dubio quod potiſſimum Parmenſis ſequeretur. Ita pedite, quo nec antea abundabat, denudari neceſſum fuit. Et Parmenſis quidem ipſe, aliique hoſtium duces, dum in Picardia parum ipſis conſtat quid aggrediantur primum, quod deinde iter capeſſant, Deo ſalutarem injiciente moram, Regi colligendi militis ſui ſpatium conceſſerunt. Tandem Rothomagum peti, ſed circumacto itinere placuit: quia prævalere Regem

equi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

equitatu compererant. Progrediuntur inſtructo agmine, & tormentis curribuſque communito. Rex in omnia hoſtium conſilia animo corporeque intentus, dum ad obſervanda quædam quę non quivis notare poteſt, cum quingentis equitibus progreditur, obvios habuit ad Aumalium, hoſtium 2000 equitum. Concurritur impari quantumvis numero: & pari utrimque, exigua tamen, jactura diſceſſum eſt. Niſi quod Regi præter innumeros globulos, quos, Dei benignitate, illęſo excepit corpore, unus perfracto thorace ferreo, cutem inter & interiorem tunicam hæſit. Inde Parmenſis loca equiti adverſa conſectans, ad oppidum Neufchaſtel copias ducit. Oppidulum eſt opere tumultuario munitum. Ei Rex, ad hoſtem, quandiu ferre locus poſſet, diſtinendum, Tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

pelium impoſuerat & Rebuſium. Quadringentos ictus tormentorum majorum, ſuſtinuiſſe confirmant, leviſſimo munimento. Deditione facta, præſidiarii exceſſerunt, ſignis volitantibus, ſalvis armis & impedimentis. Ex eo in Regia caſtra venerunt Mareſchalcus Aumontius, Bullionæus Dux, Trimoleus, aliique Proceres. Rex Rothomagum inter & hoſtem locatus; quid porro tentaturus ſit hoſtis, & prœlii occaſionem exſpectat. Princeps Aſculanus, neſcio quo in conflictu, accepto vulnere obiiſſe dicitur. Auxilia Hollandica 3000 hominum reflantibus ventis, necdum ſolvere potuerunt. Miles Germanicus 130000 Coronatorum nuper à Rege accepit: Et quicquid corradi præſentis pecuniæ poteſt, iis cedit. Princeps Chriſtianus è vulnere convaluit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

& Regi adeſt. Dubitant quidam an Diepam obſeſſurus ſit Par-menſis: urbe adverſus vim mediocrem, & prudentem ducem, non ſatis firma: Ea ratione revocaturus Regem obſidione Rothomagenſi: invitante etiam viciniâ. Clemens VIII. PP. habito ſuper Rebus Gallicis conſilio, 3000 Helvetiorum & 1000 Italos equites, ſuis ſtipendiis in Galliam mittere & alere decrevit. Et litteras ad Parlamenta aliaque præcipua corpora expediri juſſit, quibus ad Regis electionem hortatur: Et ſilentius agant, nominaturum ſe Regem denuntiat.

XXIX.

Tuas ad Leunclavium miſi. Aderit is nobis proximè ſequenti ſeptimanâ. Zundelinum audio eſſe Argentorati, & manſurum. Quod Marchitis cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

vicinis non bene convenire ſcribis, velim explices: & ſi quid habes de motibus viciniæ veſtræ: qui mihi videntur nullo modo negligendi. Altum ulcus vereor. Noſtra adhuc in incerto ſunt: niſi quod illa quæ nuper ad vos ſcripſi, firmantur variis litteris. Stare quodammodo res videntur, in hoc tropico conſtitutæ. Et τροπὴν hanc fauſtam ſuis felicemque Deus faciat. La Valettam, bonum ducem & fidum, (ſi qua fides Lugdunenſibus,) amiſimus. Illi viciſſim Mareſchalcum Ioyeuſam, veteranum. Ille vulnere, hic morbo an ſenectâ, periit. Pontifex Regis novi Electionem urget: & 3000 Helvetiorum, 1000 Italos equites promittit. Quamprimum de ſumma re aliquid habuerimus, ſcribam. Vale Clariſſ. Dn. & ſalve cum Magnif. Dnn. Baumgartnero & Nutzelio, & D.Phi-

D. Philippo fratre. Francof. 29. Febr. 1592.

XXX.

AD binas tuas reſpondeo. Et de rebus quidem noſtris nihil vobis affirmo. Nam illa è Palatinatu, Bullæ Metenſes. Sumus tamen in bona ſpe. Parmenſem retroceſſiſſe Abbatiſvillam plerique omnes ſignificant. Cauſam diverſi ponunt: hic, novis ſubſidiis, Rege fugato, firmatum Rothomagum: ille, clade à Rege accepta, deſperabundum receſſiſſe Parmenſem. Illud minus probabile. Et gravi inopia laboraſſe Parmenſem conſtat, quâ adactũ crediderim ut omitteret cœpta. Utut ſit, ſilent Antverpiæ & Coloniæ Hiſpani & Hiſpanici: quod mihi certum argumentum, non ex ſententia rem procedere. Auxilia Hollandica Dieppam appule-

pulerunt ſalva, 3000 militum: inſtructa ſtipendiis & largo commeatu. De Filio, curabo, ne quà in re Domini Legati ſtudium aut officia mea deſideret. De commota vicinia veſtra, miror te ſilere: adde & de Miſnicis, ſi quid habes certi. Dn. Baumgartnerum & D. Nutzelium & D. Philippum & te ſalutat Dn. Legatus: ſaluto & ego. Ecce, cum tollere manum volo, mercatores Belgæ Atrebatenſes & Riſſellenſes nuntiant, deditum Rothomagum, Regem ingreſſum XXII. Febr. ſt. v. Parmenſem cum copiis ad Ambianum eſſe, parum abfuiſſe quin à noſtris comprehenderetur. Quæ mihi ſimilia vero: & vera, aut aliquid habere ex vero, auſim affirmare. Deus opt. max. vota noſtra propitius audiat. Princeps Dombarum de cujus morte ſparſum erat, valet. Ei Rex Prin-

cipem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

cipem de Corty ad bellum Britannicum adminiſtrandum adjunxit. Dn. Waldenfelſium ſi vides, aut ſi litteris ſalutas, ſaluta & à me. Vale Clariſſ. Dn. Franc. 8. Mart. 1572.

XXXI.

CLariſſime Domine ſalve. Tria hæc verba docebunt vos, nihil nos adhuc habere certi. Parmenſem ex deſperatione agrum Rothomagenſem reliquiſſe ſatis conſtat; ſed jam Atrebati eſſe cum copiis omnibus, qui Monte & Valencænis veniunt confirmant. Addunt montem San Catharinæ in Regis eſſe poteſtate: quidam, & Rothomagum ipſum. Nos cœcutimus & erramus. Lumen noſtrum Hiſpanus miles igne extinxit. Incidit in eorum manus Tabellarius qui Hollandiâ ferebat litteras: eas arreptas cremaverunt.

verunt. Sed Ordines Clauſam & Moſæ-Trajectum irrito conatu tentarunt. De noſtris certa in horas exſpectamus. Ea vobis quamprimùm communicabimus. Vale Clariſſime Domine & ſalve cum amicis omnibus. Raptim Francof. 14. Martii 1592. Adjunctas ad Domin. Waldenfelſium cura, quæſo, quamprimum.

XXXII.

Litteras tuas XXII. Martii datas reddidit mihi filius tuus, qui hac hora iter ingreditur, quod fauſtum ei, & ejus quam quærit doctrinę fœcundum, tibique adeo lætum precor. Litteras fert ab Illuſtri Domino Legato & à me ad amicos. Libellos ad te curandos ei dedi: in quibus Diſcurſus quidam Latinus & Gallicus, elegans ille quidem, ſed nonnullis locis ſatis temerè judicium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

cium ſuum jaciens. Communicabis ea Magnif. Domino Baumgartnero & Clariſſ. Dn. Doct. Philippo. Quos & ſalutabis à me cum Magnif. Dn. Nutzelio. De rebus noſtris quod ad te ſcribam, non habeo. Parmenſis circa Heſdinum hæret & copias reficere dicitur, & de obſidendo Rue oppido ditionis Bolonienſis cogitare. Rex poſtquam eum perſequutus eſt ad Somonæ fluvii ripam, Dieppam reverſus, Hollandica auxilia excepit: Anglica exſpectat: attrito prorſus pedite noſtrati & Germanico. Quid inde conſilii capturus ſit, dubium. Rothomagum per Regis abſentiam intrarunt 300. milites, ex præſidio Novocaſtri: onus obſeſſis potius, quam auxilium: Commeatus enim nihil intulerunt: & premit eos annona. Novocaſtrum Rex in reditu recepit.

Len-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Lentum omnino negotium, ex inopia noſtra, cui remedium nullum video, niſi à Gratiâ illâ Unâ unicâ: cui te tuoſque commendo unicè. Ad Gentilem noſtrum, Altorfium, curabis, niſi moleſtum, litteras meas & faſciculum, quem filio tuo commiſi. Illuſtris Dominus Legatus te ſalutat officioſe. Clariſſ. Domine Doct. vale. Francof. 28. Martii, 1592.

XXXIII.

VElim me habere aliquid dignum ſcriptione, dignum lectione veſtra. Sed ex Galliis ne verbulum quidem. Vulgo ſcribunt Regem inſiſtere obſidioni: quantumvis fatigato aut conſumpto milite. Parmenſem reparare vires. Vereor, ne, poſtquam & itinerum habet perſpectam rationem, & gentis noſtræ atque auxiliorum ingenia cognita, re-

gre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

grediatur, & feſſis noſtris inſtet. Sed erunt ſua ſuique Deo curæ: Nos impares ſumus. Ultimo Martii iter per mediam hanc urbem fecerunt peditum ſigna quatuor, in quîs 500 milites: equites ſclopetarii centum: quos Heidelbergam ducebat Joannes junior Comes Naſſovius. Utinam non illa ſcintillula magnam in Germaniâ veſtra excitet incendium. Facile ſumas, non facilè deponas arma. In vicinia veſtrâ turbas audimus revireſcere. Tu, ſiquid ſcis, fac ut ſciamus. Vale & ſalve ab Illuſtri Domino Legato & à me cum Magnif. Dominis Baumgartnero, Nutzelio, Doct. Philippo & Domino Calandrino noſtro. Francof. v. April. 1592.

XXXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

XXXIV.

AD tuas 4. Aprilis, nihil habeo quod reſpondeam certi. A Rege litteras exſpectamus in dies. Rumores varii ſunt. Hæret ad Rothomagum Rex, cum pauco pedite. Parmenſis repetere expeditionem velle videtur. Certè quos dimiſerat, revocat milites. Rex interim pleriſque ſuis diſcedendi copiam fecit. Obſeſſi, quantumvis premantur, perſtant audaces accepto auxilio: & Cives eorumque facultates tenentur à milite: itaque illis ne hiſcere quidem adverſum hujus impotentiam liberum. Bullionius Dux, dignitate Mareſchalli Franciæ auctus eſt: frendentibus Pontificiis, qui apertã vident Euangelicis ad ſummos etiam honores viam. In Provincia alienantur quotidie à Sabaudo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

baudo animi: præſidium ejus civitate Arelatenſes exegerunt. Maſſilienſes proditionem agitari cognoverunt: ideo infenſi. Deſcivit à Rege Marchio à Beliſle, filius Retii illius famoſi, quem ex infimo loco provexerat favor Mediceæ ad ſummum. Beliſle inſula eſt ad littus Armoricum, oportuna Hiſpanis. Eam habet in poteſtate. Statim à defectione, fugatus eſt in Pictonibus non ſine damno. Serpere latius in Arragonia incendium ferunt. Utinam correptas aliquando Catholici illius incendiarii ædes ſævo igne cernere liceat. Sed hæc in genubus Deorum. Illuſtris Dominus Legatus te & D. Baumgartnerum & D. Nutzelium & D. Philippum fratrem ſalutat: Saluto & ego. Libellulos aliquot filio tuo ad te curandos tradidi in nundinis. Spero eos tibi redditos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tos. Vale Clariſſ. Domine. Francof. 12. April. 1592.

XXXV.

HAnc ad te ſcribendi occaſionem V. CL. amittere nolui. Proficiſcitur ad vos Æmilius Portus Franciſci filius, ejus qui Genevæ litteras Græcas Græcus Cretenſis, magna cum laude olim docuit. Ipſe Æmilius, Græcè Latineque doctiſſimus, Italicam etiam Linguam ad noſtratem Gallicam perfectè callet. Profeſſionem apud vos quærit: vir ingenii amæniſſimi. Eum tibi & Ampliſſ. Domino Baumgartnero Illuſtris Dominus Legatus commendat: commendarem & ipſe, ſi mihi ea eſſet auctoritas. Faſciculum quem filio tuo ad te curandum dederam, neſcio an receperis. Noſtra, in Galliâ ſanè lentè procedunt. Parmenſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

menſis Rothomagum repetit au-
ctis copiis. Rex, parvo comitatu
ejus impetum improviſum vix
feret. Ajunt reditum in Galliam
maturaſſe, quod proditione Die-
pam ſibi traditum iri ſperaverat:
detectâ proditione, hâc eum
ſpe decidiſſe. Et Regem conſtat,
ob præfecti Diepenſis morbum
advolaſſe Diepam XVII. April.
ſt. n. Sed ſolent callidi illi non
unum ſolum in finem tantas ex-
peditiones ſuſcipere. Et de Regis
ſolitudine certior factus, abſque
dubio Rothomagum ingredi ten-
tabit. Sabaudus ad ſuos, relictâ
deſperatis rebus Provinciâ, re-
diit, Genevam fortaſſe aggreſſu-
rus. Labaſcimus, niſi nos Ille ex
alto juvat. Clariſſime Domine
vale & ſalve ab Illuſtri Domino
Legato & à me. Francof. XXIV.
Aprilis, 1592.

XXXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

XXXVI.

SIlentium tuum, Clariſſ. Dn. ita interpretor, ut putem te deſperatas res noſtras judicaſſe. Certè multorum bonorum animos perculit ille Regis Rothomago abſceſſus, ſed futurum ita, Rex ipſe Illuſtrem Dominum de Freſnes præmonuerat. Et quod Majeſt. ejus addebat, Parmenſem ſeſe ipſum illaqueare, hoc omnino accidit, ſi, quæ ad nos è Belgio perſcribuntur, vera ſunt. Ea, ita habent. Regem ad Parmenſis adventum receſſiſſe verſus Pont del'arche, circiter milliaria duo: oppidum ipſum ad Sequanam eſt tria milliaria ſupra Rothomagum. Et Rex quidem ita ſe locavit, ut & tutus eſſet ab hoſte, & recipere ſuos advenientes poſſet. 21. Apr. ſt.n. Urbem Parmenſis cum Mænio,

Gui-

Guiſio, Aumalio ingreſſus eſt
penè triumphans. Multum in
ſpeciem ejus adventus urbem re-
creavit: revera parum: Nihil enim
ad victum intulit. Regione autem
circumcirca Regis ſtudio devaſta-
ta, aperiendum fuit flumen (quod
occupatum à noſtris Caudeber,
oppidum infra Rothomagum,
claudebat,) ut neceſſaria recipere
à Portu Gratiæ (Havre de Gra-
ce) poſſent. Igitur Caudeberum
obſidet: Vulnus ſclopeto in bra-
chio, ut primum dicebant, leve
excepit. Oppidum deſtitutum re-
bus neceſſariis, deditionem fecit
27. Apr. conditionibus honeſtis.
Non ſe tamen præfectus neque
ſua commiſit fidei hoſtili, ſed im-
poſita navibus tormenta & alia
quæ uſui eſſe poterant, & ſe mili-
temque reddidit Regiis navibus
quæ ad fluminis tutelam excuba-
bant. Paraverat hoſtis eo fere
tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tempore, in Portu illo Gratiæ naves amplius 30, frumento aliiſque ad victũ neceſſariis onuſtas, & eis addiderat quindecim bellicas, quibus Hiſpanus miles erat impoſitus, ut ſi Regiæ naves prohibere vellent, vi perrumperent. Navigant, incidunt in noſtras: pugnatur & quidem acriter. Succumbunt illæ, ſubmerſæ aut captæ omnes, & qui verus in manus venit Hiſpanus miles, in flumen præceps abjectus. Et noſtri damnum paſſi. Regia navis periit, quam Admiralem vocant, ſervati tamen Hollandorum operâ viri, & machinæ. Hollandorum ipſorum prætoria ita pugnavit ſtrenuè, ut decem ſoli ſuperſtites fuerint. Convenit interim ad Regem prompta, raro ſanè exemplo, Nobilitas, paucis diebus ad 3000 fuerunt. Rex in hoſtes ducit, & 28. Apr. in Iuetot

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tot quod oppidum miles hoſtilis inſederat, caſtra locat: 27. Apr. promovet, & hoſtem, levi quidem ſed felici certamine victum, alio pellit loco. Iam in conſpectu eſt hoſtis, qui ad Caudeberum, ſylvâ ſe contra Regium equitatum tuetur: cætera, fame divexatus; nec elabendi ulla via eſt. Regius miles pugnam clamoribus poſcit: & Germanus inprimis, quem ſacramento firmaſſe ajunt non petiturum ſtipendia, niſi pugna pugnata, aut hoſte aliâs pulſo. Conſtanter quidam ſcribunt Parmenſem è vulnere malè habere, & delatum in Portum illum Gratiæ, è quo utinam in verum illum Gratiæ portum, ducente Deo, ſolvat. Vale. Clariſſ. Dn. & ſalve cum Magnif. Dn. Baumgartnero Dn. Nutzelio, Clariſſ. D. Philippo fratre. Francof. raptim 10. Maii. 1592.

D XXXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

XXXVII.

COmplures dies ſuſtentavit ſe Parmenſis victu qui ex Portu Gratiæ, ſeu Novo, naviculis clam advehebatur parcè. Sed poſtquam caſtri Liſlebonnæ præfectus, (caſtrum eſt infra Caudeber) ſe Regis permiſit poteſtati, fames eum ad extrema conſilia adegit. Fixum illi pugnam fugere. Naves advectæ Rothomago & in omnem paratę eventum aderant; iis peditatum in alteram ripam trajicit, Regem equeſtri pugnâ fallens. Ipſe, ut ajunt, noctu Rothomagum cum equite penetrat. Alii & ipſum Parmenſem flumen trajeciſſe, miſſo Rothomagum Mænio, ſcribunt. Rex Caudeberum ſtatim recepit: Mareſchallum Bironium iter quod in Belgium ducit, obſidere juſſit: Ipſe Arcus-Pontem contendit, oppor-

opportunum diſpiciendis hoſtiũ conſiliis. Sed quo illi iter deſtinent, prorſus incertum: & obſervanda Regi, atque defendenda multa: hoſti unicus finis, evadere. Res nobis eſt cum vulpe: quæ tamen ipſa, Deo dante, præda erit. Clariſſ. Dn. vale & ſalve ab Illuſtri Dom. Legato & à me, cum Magnif. Dn. Baumgartnero, Dn. Nutzelio, Clariſſ. Dn. D. Philippo. Tuas ad Leunclajum curavi: illas alteras ad Fiſcherum ipſi in manus reddi juſſi. Poſtremæ Antverpiâ litteræ ſignificant Parmenſem Druſium (Dreux) perveniſſe, Mænium & Guiſium Rothomagi reliquiſſe cum 4000 militum. Sed aliâs diſcimus, ad diem 10 Maii, hoſtem antequam è latebris ſuis evaderet, magnam & hominum & equorum & impedimentorum jacturam feciſſe. Francof. 23. Maii. 1592.

 XXXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

XXXVIII.

TUas accepi ſcriptas 30 Maii. Et nos, conſcribi Hiſpano militem in Germania, audivimus. Nobis ſi tantæ eſſent facultates, ut paratum recentem militem habere poſſemus, procul dubio, niſi omnino adverſo fato pugnamus, actum jam de hoſte eſſet. Sed inopia premimur. Profligatus eſt Parmenſis: ille vero, tanquam Antheus terræ illiſus vires recipiet: Nobis victoria vires cadent. Stipendia petent Germani, quæ nulla adſunt: Noſtrates, tamquam re confecta, magnam partem domos repetent. Solus Rex, cum paucis Anglis & Belgis quos ſui ipſi alunt, profligare bellum non poteſt. Sed hoc commentari eſt & diſſerere apud te, & te ſolum. Publica hæc ſunt: Parmenſem deſertum ab Chrimæo & Aſculano Principibus, quorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ille Valencænas, hic Macerias inde Namurium evaſit, in Briâ eſſe: in ejus vicinia Regem eſſe: illum ulteriorem Matronæ (Marne fl.) ripam, Regem citeriorem tenere. Illum Lotharingum auxilio advocaſſe, & conſcribi in Lutzenburgico & Limburgico ſolo militem, qui viam aperiat rediturienti Duci. Majorem exercitus noſtri partem in Normandia ſub Bironio remanſiſſe: Helvetiorum 2000, commeatu à Rege impetrato, domos reverti. In iis compoſito habitu, Italos & Hiſpanos effugiũ cogitaſſe. Proditos eſſe nonnullos inter quos Lodronii Comitis filius Diepã captivus ſit abductus. Mauricius Comes Steenvvickum obſidet: anceps negotium. munita enim urbs, natura, opere, milite, annona, & omnibus quæ ad victum bellumque. Novus Epiſcop. Agentinenſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

in armis eſt: & promovet. Sed Lotharingum ajunt ſeſe opponere. Nec quieſcet Archidux. Adminiſtratorem patrem ajunt Lipſiâ profectum ad thermas Carolinas in Bohemiam. Non placet profectio: & vix profectum credo, tam alienum in locum, tam alieno tempore. Tumultuari Miſnenſes magis magiſq; ajunt. Tu vero ſi quid habes de tota Rep. perſcribe. De Wittebergico & Lotharingo quod narras: annus eſt, quod factum eſt. Clariſſime Domine vale & ſalve. Inclyta Noriberg. Reſpublica an Salinas poſſideat, ſcire abs te cupio, & quo loco, & quales. Libellulos in nundinis à filio an acceperis & alios ad Gentilem curaveris, non ſignificaſti. Vale Clariſſime Dom. & ſalve ab Dom. Legato & à me cum Magnifico Dn. Baumgartnero, D.

Nut-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Nutzelio, Dom. Philippo fratre.
Francof. 7. Junii. 1592.

XXXIX.

NUllum abs te ad poſtremas meas reſponſum accepi. Petebam ut certiorem me faceres, An & quo loco & quales Salinas Inclyta Rep. Noribergenſis haberet. Hoc abs te repeto vehementer. Parmēſis ad fontes Spadanos rediit, confracto exercitu. Sed cladem nos in Britannia acceptimus gravem. Fuſi fugatique Principes Contæus & Dombenſis, cæſi militum ad 2000, capta tormenta quibus Craon urbs oppugnabatur, capti & Illuſtres viri Mombazo, Rochepotius & alii. Rex ipſe ad res reſtituendas eo convertere vires conſiliaque coactus, & Rothomagum deſerere & hoſti viam facere fugienti. In Anglia nova auxilia rebus

Bri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Britannicis comparari audio. Cæterum antea valida de pace mentio: & confectum iri ſpes erat. Hac equites tranſeunt pauci Argentinam: ſerum auxilium. Agrum tenet oppidaque Lotharingus. Archidux vicinus & ipſe arma capit: nec Brandeburgico nec Lotharingo, ut ajunt, æquus: ſuum curans commodum, auctoritate armatus Cæſarea. Quid hîc Principes veſtri? Ceſſabunt, & ſe latrunculis ludibrio eſſe patientur? Non ſpero. Tarditatis & lentitudinis maculam, ſi lubet, facilè eluent. Et quid iſte Dux unicus, ad familiæ Brandeburgicæ tantas opes? Aut quo opes iſtæ, ſi pati etiam à quovis injuriam lubet? Dicerem quod olim Macedoni Philippo anus: Si labores ſudoreſque refugitis, ponite & Principum nomen. Sed hæc tibi: Vellem & illis ipſis dicta: niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſæpius fruſtra dicta eſſent. Vale Clariſſ. Domine D. cum Magnif. Dn. Baumgartnero & Clariſſ. D. Philippo fratre, & ſalvete omnes etiam ab Illuſtri Domino Legato. Legatum iſtic intra paucos dies ab Illuſtriſſ. Aſcanio noſtro habebitis Ampliſſ. & Clariſſ. D. Hippolytum ad Colli principis ipſius Cancellarium, Virum doctum, bonum, integrum. De Salinis peto ne excidat. Miſi ad te ante octiduum à Cluſio noſtro litteras. Is & hodie tibi ſalutem dicit. Iterum vale. Francof. 20. Iunii, 1592.

XL.

AD ternas meas nihil abs te reſponſi habui. Abeſſe ſuſpicor. Ideo te fortè abſente hiſce adjunctas Ampliſſimo Domino Baumgartnero commendo, uti ipſe D. D. de Colli, Illuſtriſſimi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Chriſtiani Cancellarius petiit. De pace tractari in Gallia conſtat: utinam ſyncerè. Mihi non poſſunt non omnia eſſe ſuſpecta. Sed ad pacis ſolum nomen videor mihi recipere animum. Ita eam miſeri ore & corde omnes expoſcimus, exhauſti viribus & animis. Dominus Saurius Legatus in Angliam trajecit, ni fallor, ſuper pacis conditionibus Reginam conſulturus. Argentinenſe negotium lentitudine ſanè corrumpitur. Vi Lotharingus irrupit, vi eſt exigendus: Et Legationibus litteriſque ſcriptis parùm proficias. De Salinis, an & quales veſtra Reſp. habeat, reſponſum expectarem, niſi prohiberet pertinax ad hoc ſilentium tuum. Steenvvichum deditione in Comitis Mauricii poteſtatem veniſſe confirmant. Clariſſ. Domine vale & ſalve ab Illuſtri Domino

Le-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Legato cum Ampliſſ. Dominis Baumgartnero, Nutzelio & Clariſſ. D. Philippo. Francof. v. Julii, 1592.

XLI.

TUas, datas 29. Junii accepi. Infrequentiã ſcriptionis adſcribo variis & magnis occupationibus tuis. Nudiustertius D. Peucerum hîc habuimus, Heidelbergam iter facientem. De rebus noſtris nihil tibi confirmare poſſum. Pax in ore multis: utinam omnibus in corde. Ducem Bullionii arbitror cum Germano equite eſſe in finibus Lotharingiæ: & ad patrem regreſſum eſſe Cardinalem quidam narrant Argentinenſes animos recipere videntur, poſtquam numeroſiores copias habent. Ego caput deſidero: quod ſi habuiſſent, non tantum damni & terroris dediſſet

la-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

latrunculorum illa manus. In Belgio quid cœptet Mauricius Comes, nondum conſtat: magnam ei laudem oppugnatio Steenvvici peperit, majorem humanitas quâ deditos habuit. Vale Clariſſ. Domine D. & ſalve ab Illuſtri Domino Legato cum Magnif. Dominis Baumgartnero, Nuzelio & Clariſſ. Domino Doct. Philippo. Raptim Francof. 12. Julii, 1592.

XLII.

TUas XI. Julii ſcriptas accepi. Idem me, quod te, tædium publicarum rerum afficit: ita relabi mihi videntur omnia & retrorſum ferri, eorum lentitudine & languore, quos promptiſſimos eſſe decuerat. Sed publicis illis rebus & nos includimur: & nobis noſtri nonnulla cura. Regem Chriſtianum non inopia ſolum

lum affligit, ſed infida etiam fides multorum. Ponteandemer oppidum non magnum nec magni momenti magna perfidiâ amiſimus. Præfectus non contentus oppidum prodere hoſti, niſi &, ſpecie auxilium vicino oppido ferendi, Tempelium cum milite ſuo in inſidiis præcipitaret, quibus periit, & Rebuſium ex morbo decumbentem hoſti traderet. Lætiora ex Britannia nunciant: Mareſchallum Aumontium hoſtium legiones duas fudiſſe partim, partim cæcidiſſe, & ſex majora tormenta nuper nobis erepta recepiſſe. Bironius diem ſuum obiit ſclopeto ictus ad Eſpernæum, quod ipſum etiam præfecti ignavia an perfidia amiſimus. Sed Præfectus Catalauni (Chalons) captivus detinetur. Bironii dignitatem Mareſchalli, accepit filius: ita ut Mareſchallum

Biro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Bironium deſiderare miles illi aſſuetus non poſſit. Bullionius Sedanum advenit 19 hujus ſt. n. ſtatim inde in Lotharingiam irrupturus: ſpero aut jam eſſe aut brevi fututum Metis. Lotharingos Argentoratenſes ſtrenuè exceperunt. Julii 14. illi noſtros noctu inter urbem & pontem Rheni excubantes aggreſſi ſunt, pontem, ut quidam ſuſpicantur, ſi res ſucceſſiſſet occupaturi. Repulſi ſunt fortiter, capti equi 70. equites nonnulli, & haſtæ ſeu lanceæ, quæ veſtrati equiti erant antea terribiles, multæ in urbem deportatæ. Hic ſucceſſus reficiet animos languidos. Vale Clariſſ. Domine, & amicis ſalutem & hæc ipſa communica. Francof. 20. Julii, 1592.

XLIII.

XLIII.

HAc hora tuas 26. Julii ſcriptas accepi. Cluſio ſuas reddidi: & eodem momento hiſce adjunctas à Leunclaio accepi. Merito ad rerum publicarum ut hodie adminiſtrantur mentionem, animus tuus graviter afficitur. Ego ad cogitationem ſolam horreſco. De Tempelio & Rebuſio, memini me ad te ſcribere nuperrimè. Caudeberum obſideri audivimus: & miſſa ab Hollandis auxilia: Ad Quillebeuf cæſos fuiſſe Rothomagenſes confirmant, & coactos abſcedere. Viennam præſenti pecunia XLM. coronatorum emptam, Nemurſius à Maugironio, accepit: ſed arcem teneri à noſtris quidam ſcribunt. Hîc vero quæ nobis in tanta domeſtica perfidia ſpes eſſe ſalutis poteſt? Miles Germani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

manicus heri cœpit huc appellere. hodie eo repleta eſt civitas. Varii eorum ſermones: nec conſtantes. Hoc conſtat, cum ſtipendia Rex ſolvere non poſſet, dimiſſos. Sed advenerunt præter ſpem omnem noſtram, qui eos in Lotharingia militaturos, ſperaveramus. Parmenſis in Germania veſtra, & in Italia numeroſum cogit exercitum, in Galliam ducturus. Nobis nulla auxiliorum ſpes: niſi quod Anglorum 4000. Dominus Saurius impetravit. Is te litteris Londino ad me ſcriptis, cum fratre, & Ampliſſ. Domino Baumgartnero, amiciſſime ſalutat. Aſcanius Princeps Argentinam profectus eſt; ut hîc vulgus militum ait: nam quidam Heidelbergæ eſſe contendunt. Spero eum imperatorem daturum Argentinenſibus: quo uno certè indigent. 3000 Helvetiorum in

horum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

horum caſtris eſſe, non dubito vobis notum eſſe. Turcam receſſiſſe audimus: & vereor ne pecuniæ quas colligi ab Imp. ſcribis, in nos noſtroſque parentur. Literas tuas Dominus Legatus cum aliis à Principe Palatin. ad Neoburgum accepit, & te plurimum ſalutat. Variis occupationibus diſtentus ſcribere non potuit. Vale Clariſſ Domine D. Cum Magnif. Dominis Baumgartnero & Nuzelio, & Clariſſimo D. Philippo. Francof. 28. Iulii, 1592.

XLIV.

NUdius tertius redii Francofurtum ex peregrinatione varia. Dominus Legatus noſter Argentinæ hactenus fuit: eum expectamus indies. Statum rerum Argentinenſium notum vobis exiſtimo: & ipſe, quid poſt diem 25. Aug. quo magna laude An-

Anhaltinus Princeps auctus eſt, actum ſit, ignoro: niſi quòd adveniſſe eò Mandeſloius Erneſtus cum equitibus 500 dicitur. Miles illis abundè eſt: Dux opus eſt: an cum Anhaltino Principe eis convenerit, nondum certè comperi: & niſi convenerit, abjicio jamjam bonam quam de rerum iſtarum ſucceſſu ſpem concepi. In Gallia noſtra res variant, ut ſolet. Rex oppidum Briæ Provins recepit. In Britannia inſignē cladem hoſtes acceperunt. San-Laurentius quidam, Mercorii Ducis Legatus, oppidum Gingant obſidebat. Eum noſtri de improviſo adorti, caſtris exuerunt. Cæſas ajunt cohortes XV, & turmas equitum octo, ad internecionem: capta bellica tormenta, captus ipſe dux San-Laurentius cum Nobilitate pleraque. Regina Angliæ 4000. militum tranſmittere parat. Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Hiſpanos ad 3000. jam appuliſſe ajunt. Sed in Belgio Comitem Mansfeldium Carolum, & Verdugonem ſuperato Rheno cum exercitu 6000, ad Coverdenſem obſidionem ſolvendam properare conſtat. Mauricius Comes caſtrum illud Coverdenſe artè premit: & jam penè tormentorum ictibus disjecit, & ruinis quæ habebant ad victum parata corrupit, fontem quo unico utebantur replevit: Ipſe cum exercitu ferè 9000, foſſa benè munitus, cogi ad prœlium non poteſt. Parmenſem ægrum decumbere graviter ajunt. Parmenſis iſtius morbi, neſcio, quid nobis morbi hactenus in Gallia attulerunt. Turcicum bellum ſtrenuè comparari audio: Ego Imperatorem aliud animo agitare hactenus ſenſi: & hoc prætextu aliud conſilium occultare. Dies aperiet. Hoc ego

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ego tibi judicium meum ſoli aperio. Litteras tuas ad Zundelinum Heidelbergâ à vobis tranſiens, relinquebam Leunclaio: cui & ſalutem dicebam à vobis. Nam Zundelinus cum Electore aberat. Obitum Illuſtriſſ. Langravii hîc primum comperi. Ego Germaniæ veſtrę graviſſima quæque metuo: quæ utinam Deus benignus avertat, & in hoſtium reproborum capita Ultor convertat. Te vero Clariſſ. Dom. cum fratre & Magnif. D. Baumgartnero & Nutzelio, & ipſa Republ. veſtra ſervet & tueatur. Francof. 6. Sept. 1592.

XLV.

ARcem Coverdenſem & opere & natura longè munitiſſimam, ſumma vi oppugnatam, in poteſtatem tandem Mauricii Comitis veniſſe, aliorũ litteris haud

dubiè

dubiè cognoviſtis: Et cùm auxilium ferre Verdugo conaretur, damno non mediocri affectum amiſſis ſuorum non paucis. Ex eo, effugium per Weſtphaliam quærere; alii, rationes præſidio Groningam firmandi inquirere ajunt. Parmenſis, quantumvis, ut fama fert, æger corpore, expeditionem in Galliam cogitat paratque. Et jam Rhemos advenit Senonenſis Cardinalis & Feriæ Dux, novi Regis, ut præferunt, electionem procuraturi. In Delfinatu, Provincia, & Britannia noſtra, lapſæ res quodammodo eriguntur. In Britannia ter hoſtes cæſi: primùm cum captus eſt San-Laurentius, de quo ad vos ſcribere memini: Duæ deinde peditum legiones (Regiment) à Mænio tranſmiſſæ cum Nannetes peterent, derepentè à Dombenſi Principe, (is hodiè Mont-
pen-
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

penſerii Dux eſt) oppreſſæ ſunt. Tum Trimolius obvium fortè Marchionem de Bell'iſle (is filius eſt Retii Mareſchalci, & ante annũ à Rege defecit) fudit fugavitque. In Provincia Berenſes ſe Regis poteſtati tradiderunt. Tenebat eorum oppidum valido præſidio Sabaudus. Sed cum forte præfectus Alexander Vitellius oppido cum præſidiariis aliquot egreſſus eſſet, oppidani, qui erant de præſidio reliqui, partim necaverunt, partim oppido pepulerunt: & redeuntem Vitellium, bombardarum tonitru ſalutarunt. In Delfinatu, oppida quædam, in quîs San-Marcellinum, recepit Lediguerius, & Nemurſium cedere campo coëgit: De Vienna recepta rumor eſt incertus. Navim Hiſpanicam quæ Indiæ Orientalis Proregem vehebat, captam ab Anglis audiviſtis: & Noritium

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

cum Anglorum 4000 trajicere in Britanniam. Sed ad Antverpiam nautarum turba res turbat. Stipendia multorum menſium petunt: & clauſum interim flumen tenent, ita ut ſpatio dierum 18 ne ſcapha quidem præternavigarit. Doctor Betz, olim Conſtantinopoli Legatus Cæſareus, hujus tractus Principes & civitates de auxilio contra Turcam appellat. Sed cum Capitanens quidam poteſtatem ſibi fieri peteret, militem conſcribendi, & cum litteris Cæſareis publicis, (patentes vocant) occulta etiam mandata obtuliſſet negligens, ex his perſpectum eſt, militem non in Turcam ſed in Galliam conſcribi, juſſu Imperatoris. Itaque decretum, Betzio Doctori negandum quod petebat. Hoc tibi & Dn. Baumgartnero. Tuas accepi: ad filium curabo. Ad meas

vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

vero quas huc reverſus ante dies xiv dedi, tu nullum verbum. Vale Clariſſ. Dn. & Dnn. Baumgart. Nutz. & D. Philippum ſaluta à me. Francof. 20. Sept. 1592.

XLVI.

EX Haſſiâ & Saxoniâ Inferiori redii ſalvus, Dei benignitate: & tuas hîc repperi ſcriptas xxvi. Sept. Sed de tua invaletudine nuntiavit mihi Dominus Brederodius: nunc ſpero & opto melius te habere. In Haſſia quieta omnia, per moderationem Ludovici Landgravii, & Mauricii ipſius prudentiam. Apud Ludovicum vidi Anhaltinos, Ioannem Georgium, Bernhardum & Auguſtum fratres: animi cauſa excurrerant. Parmenſis in Galliam revolat. In exercitu habet militis Germani legiones, (Regiment) quattuor: Hiſpanici unam;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

unam: Belgici tres: Equitatum vero non valdè validum, niſi quatenus veterani pauci ſuſtentant. Rex ad Lutetiam eſt: Urbem premit: Caſtella excitavit arcendo commeatui: quibus firmandis, dum iniquiore, qualis pluribus his diebus fuit, tempeſtate invigilat, febrim contraxit, quæ eum tenuit horas 24. Convaluit, Dei gratia. Ipſa Lutetia aut Regem poſcit, qui ſit ipſis tuendis, aut pacem. Hæc feſtinandi cauſa Parmenſi. Rex equitatu valet: pedite deſtituitur. Cæterum & Lediguierius in Pedemontio & Eſpernonius in Provincia rem gerunt feliciter, & in Occitania ajunt Joyeuſium, ſtrenuum & felicem ducem & hoſtem pertinacem, dum Villemurium, oppidum non procul Montalbano obſidet, eruptione oppidanorum fugatum, capta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tormenta: ipſum dum flumen eques tranare tentat, ſubmerſum. Utinam! Bullionius ut rem ad Bellomontem geſſerit, audiviſtis. Vulnera acceperat duo: ex quibus valet. Illuſtriſſ. Chriſtianus die xxx. Oct. Argentinâ egreſſus eſt cum tormentis 17. in quibus majora octo. Acceſſit belli ſocius Durlachii Marchio. Deus eorum cœpta ſecundet. Pertinet omnino negotium hoc non ſolum ad dignitatem, ſed ad ſalutem etiam Germaniæ veſtræ: dicam & noſtræ, in qua mihi multos annos, hoſpitium quietum placidumq;. Anglos ajunt naves Indicas cepiſſe xiv. alii, vii. & Inſulam Mexicanam Honduras diripuiſſe. De rebus Turcicis & aliis quæ ad publicam rem ſpectant, edoceri à vobis cupio. Dn. Waldenfelſium ſaluta à me aut coràm aut per litteras, ſi occaſio feret. Ampliſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

pliſſimo vere Dom. Baumgartnero & Magnif. Dn. Nutzelio & Clariſſ. D. Philippo ſalutem itidem à me dices : & has, cum illis habebis communes. Apologiã H. Stephani pro Herodoto Gallicam miſi ad Clariſſ. D. Philippum: an reddita ſit, ſcire cupio. Vale Clariſſ. D. & me ama. Franc. 7. Nov. 1592.

XLVII.

AD eas quas ad vos ante octiduum dedi, non habeo quod addam : niſi fortè pauca hæc. Parmenſem Bruſſellis Valencænas profectum, valetudine, ut ajunt, non ſatis firma : firmo tamen conſilio Galliam repetendi. Rothomagenſes arcem oppidi Pont del'arche, occupaſſe : ſed oppidum in fide perſtare & arcem oppugnare. Vereor, ne Rothomagi viciniâ, arx prævaleat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Lutetiam Rex antè premit: hæc feſtinandi cauſa Parmenſi, præterquàm quod electionem Regiam factio urget Hiſpanica. Ioyeuſii cladem & Lediguierii ſucceſſus & progreſſus accepiſtis aliorum litteris: ſunt enim vulgata. Illum omnes periſſe affirmant, & cum eo amplius 2000, captos 800, & tormenta 20, & prædam ingentem. Montmorancius auctor facinoris. Mihi Ducem occubuiſſe ſufficit, quicquid de tanto occiſorum numero, verior fortaſſe fama minuat. Hîc quattuor munitiones in Pedemontio excitat, locis oportunis. Ita arma noſtratia Italiæ illata cernimus. Eſpernonus pleramque Provinciæ ſuæ Nobilitatem ad officium retraxit. Tuas ad filium poſtremas Illuſtris Dn. Legatus curavit, & diligenter de eo inquiri juſſit. Quid Nutzelio filio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

factum ſit, ſcripſit ad patrem D. Legatus Argentinâ. Ego poſtquam factum intellexi, tuli ſanè graviter. Monuit adoleſcentẽ D. Legatus, pericula commonſtravit: parentis indignationem prædixit: nec ſibi gratum quòd ſe inſcio, patre inconſulto, militiæ nomen dixiſſet. Cum ille perſtaret: coactus Dn. Legatus, quod mutare non poterat, probavit: quod unum, tum temporis, eo loco poterat, bonis eum viris commendavit. Et ſperat futurum ex ejus uſu expeditionem illam. Nec quidquam de ſuo in parentem amore, & in filium benevolentia, demutat, paratus & hujus promovere commoda, quotieſcunque ſeſe offeret occaſio. Hoc volui ne neſcires. Magniff. Dnn. Baumgartnerum & Nutzelium & Clariſſ. D. Philippum ſalutabis ab Illuſtri Dn. Legato &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

à me, & mea iis officia nuntiabis. Vale & tu & ſalve ab eodem Illuſtri Dom. Legato. Francof. 15. Nov. 1592.

XLVIII.

NOn ſperabam otium mihi futurum ad te ſcribendi. Nova itaque quæ habui, ea ſcripſi raptim ad Dn. Calandrinum. Tuas accepi & Cluſio reddidi quæ ipſius nomen præferebant. De Argentinenſibus nihil habemus certi. Filium tuum Dn. Legatus ſtudioſè commendavit & Dn. Bullionio & amicis aliis. Ego, quicquid de eo cognovero, faciam id ut ſcias. Ioach. ſpero ſalvum tibi redditum iri. Ad ea quæ ad Calandr. ſcripſi, addo: Ordines Belgicos, Regi in menſes ſingulos 30000 fl. ſpopondiſſe, & naves VII bellicas egregiè inſtructas mittere, quę oſtia Sequanæ & So-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

monæ tueantur. Fregerunt ad Maſtrichium 600 milites veſtrates qui ſub Arenbergio & Barlemontio militabant, de iis ceperunt 200, quos lytro in capita 30. ſtuferorum accepto dimiſerunt. Bullionæus egregiè valet. Vale & tu Clariſſ. Domine & ſalve ab Illuſtri Domino Legato, qui & Magnif. Dominis Baumgartnero & Nutzelio, & Clariſſ. D. Philippo ſalutem dicit: dico & ego. Parmenſis in Atrebatibus accelerat expeditionem in Galliam, quantum poteſt. Ducit ad 7000 ped. 2000 equitum. Francofurto 22. Nov. 1592.

XLIX.

TUis quas 28. Nov. dediſti, reponam pauca, ſed, ni fallor, bona verba. Alexander Farneſius Dux Parmæ, &c. Kal. Dec. non habebat malè: repentè

correptus eſt doloribus, & torminibus vexari cœpit: ſed & lingua deficere. Medici venenum ſuſpicari: remedia adhibere ab arte, non ab illo ſummo Medicorum, cujus hic ſententiâ perierat. Ajunt menſæ impoſitum, diu volviſſe, & recreatum. Tandem horâ IV. matutina exſpiravit, in cœnobio D. Vadaſti Atrebati. Comitem de Fuentez, qui ut pedem Belgio impoſuit, à Rege ſuo Dux ſalutatus eſt, pro generali Gubernatore ſe gerere, dum Duciſſa Sabaudiæ advenit, cui præfectura illa à patre mandata ſit. Vides perpetua ab Hiſpanis præmia. Mortem illi pro officiis reponunt. Avum Carolus V. Pater vi aperta ſuſtulerat: Nepotem Philippus F. veneno abſtulit. Duo Alexandri veneno pereunt, ille 1815. annis hunc præceſſit. Duo hoſtium noſtro-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

rum Principes, Decembri pereunt, Guiſius penè exeunte, hic ineunte. Uterque à Rege ſuo, ſed ille perfidus, hic nimium fidus, uterque nimium fidens. Præmiſerat ille ad Galliæ limitem copias, iis quid futurum ſit videbimus: dilapſuras ſpero: & Italos ab Hiſpano animo abalienato futuros: Et Pariſienſes ad ſanam mentem redituros. Conſtat eos adverſus Mænium tumultuaſſe ſerio: non fæcem illam: ſed Senatus & Urbis capita: & in hæc erupiſſe, ut dicerent, Sumpta in Regem legitimum & clementem & beneficum, à ſe arma, pulſum urbe. Eadem ſumere & ſtatuere poſſe in eos qui ſpecie libertatis Regnum affectent alienum. Sedavit tumultuantes Mænius, præſentis auxilii Hiſpanici oſtentatione, & Ordinibus ad xv. Dec. convocatis. Neutrum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ut ſpero, præſtabit: nam abſque validoexercitu conventum habere, illis intutum. Hollandi in armis ſunt. Quoniam huc excurri, addam ad unum epiſtolæ tuæ caput Tria verba. Querelas audiſti militis veſtri, credo. Exhauſtum illi Regnum non cogitant, exhauſtum pecuniâ, annonâ: Iam militaris tibi licentia nota eſt: & quid ſoleat in caſtris, in quîs nationes variæ: in quîs, ob nulla ſtipendia, nulla diſciplinæ ſeveritas. In Domino Saurio quid accuſent, velim ſcire: Fortaſſe quod non benè ipſis fecerit: Non potuit. Nec feciſſe ipſis malè ſpero. Vox illa à Rege, falſa: aut falſum ipſius Regis ingenium: quod apertum eſſe & niveum ſcio. Cæterum, conſulantur exercitus primarii Duces, ipſe ſummus Anhaltinus. Dicent: non malè ſibi pro Regni miſeranda conditione

ditione fuiſſe: nec præſtare ipſis Regem plura potuiſſe. Scio & de Rege ſpargi ſiniſtra: ſcio & illum ſuos habere nævos: & quis noſtrum integer? Sed de eo dicam, quod de ſuo Cominæus: Nullum eſſe ætate noſtra Principem, qui vitiorum minus habeat: qui iiſdem aut paribus aut majoribus laborent vitiis multos videas: qui dotes virtuteſque habeat, quas ille à Deo, ne unum. Liberè hæc ad te: imò ad omnes. Namque & publices per me licet. Vera ſunt. Nolim tamen, ſi quæ à noſtris peccata ſunt, ut ſunt, excuſare: & eorum qui rerum ſuarum apud nos jacturam fecerunt, vicem ex animo doleo: optemq; ut reparare poſſim ipſe: lubens fecerim. Habent tamen & ipſi quo ſe conſolentur. Ruunt Regna & Imperia: & perire hi ſibi paucula indignantur? & hoc

quic-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

quicquid eſt, quod impenderunt, juſtæ cauſæ, juſto Regi impenderunt: ſibi ipſis patriæque, ſi penitus introſpiciunt, impenderunt. Et ſtulti hi ipſi hodie, qui ut reculis ſuis parcant, libertatem ſuam extremo exponunt periculo, & patriæ dignitatem produnt. Scis quos notem. Sed nimis hæc ad te multa. Et cum calamum ſumpſi, pauca te verba volebam. Hæc, ut dixi, leges cui voles, & ſi lubet publica facies. Vale amiciſſime Domine. Siquid filius, cui ſalutem dico, à Corteſio, id communica. De Dn. Nutzelio, nihil reſcripſiſti. Eum & Dn. Baumgartnerum & D. Philippum & te ſalutamus Dominus Legatus & ego. Francofurto VI. Decembris, 1592.

L. Bi-

L.

BInis tuis reſponſum debeo. Facis rem mihi gratiſſimam quòd quæ de nobis rebuſque noſtris ſparguntur, qualia qualia, perſcribis liberè. Poſtremis meis ſatisfactum tibi puto: & in poſterum, ut quæ apud vos dicuntur ſcire nos velis, valde peto. Litteras meas, quotieſcunque dignum vobis & ſtudio in nos veſtro, aliquid habuero, non patiar à te deſiderari. Hodie nihil eſt quod certo ſcribere poſſim. Belgium Petrus Erneſtus Mansfeldius de Senatus ſententia adminiſtrat. Comes de Fuentez inſpector & corrector advenit, magis quàm Rector: quæ in ærarii fraudem fiunt, ea emendare aggreditur. Noſtri auxilia ut ajunt, impetrarunt, duce Carolo Mansfeldio. Vix mihi perſuadeo, copias,

pias, & animo & numero exiguas, iſto præſertim duce, & rebus in Belgio incertis, in nos profecturas. Ballanius Cameracenſis præfectus, arma expedit: quo ſe converſurus, dubium. Arteſienſes ſibi timent. Abbevillani Legatos ad Regem miſerunt: quo conſilio, nondum conſtat. San-Valerium recepimus. Bullionæus res ſuas egregiè promovet. Durum oppidum ad Moſam cepit, magno & ſuorum & vitæ ſuæ periculo: Villafrancam, ut ajunt, obſidet. Fæcialis Cæſareus Argentorati quid profecerit, ſcire aveo. Certè neque pro dignitate, neque ut meretur, negotium illud à Principibus veſtris adminiſtratur. Sabaudica nota ſunt vobis. Pacem cum Turca confectum iri audio. De Corteſio, indolui ſanè. Viro docto & amico, modeſtis moribus, ele-

ganti

ganti ingenio, orbati ſumus. Sed illam metam petimus omnes, & tangimus non uno modo. Nos vero ſummus ille Rector & moderator curſus noſtri, regat & ſervet gratiâ ſuâ. Vale & ſalve cum Magnif. Dnn. Baumgartnero, Nutzelio, & D. Philippo fratre. Francof. 27. Dec. 1592.

LI.

BReviores has, V. CL. facit reditus Domini Legati, qui hac ipſa hora reddidit ſe nobis. Mansfeldium Carolum cum Feriæ Duce iter in Galliam ingreſſum affirmant. Regi auxilia ex Anglia & Hollandia adventant: vereor ne ſerius. Philippus Naſſovius re infecta regreditur: niſi quod ad ſuburbia uſque Luxenburgi excurrit, pagos XVIII. arceſque aliquot incendit, mortales multos captivos abduxit. Fuentez in eos inquirit, quos pecuniâ publi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

publicâ ditatos ferunt. Hiſpanum militem diſtribuere per Brabantiæ oppida conatur: ſed nec miles ingredi, niſi civibus fortior, nec numeroſum militem recipere mœnibus cives volunt. Res Argentoratenſis languet: & vereor ne malum illud malè habitum, ſerpat longius. Hic Legatos habemus Brandenburgicos, Palatinos, Boruſſos: de Juliacenſi negotio tractare arbitror. Nutzelium filium Dominus Legatus vidit: valet, & Moltzhemii in præſidio perſtat: Egit cum eo, ut relicta militia, reverteretur ad nos, ſperans exſatiatum bello: ſed adoleſcens nihil præter pacem reformidat. Vale Clariſſ. Domine & ſalve ab Illuſtri Domino Legato & à me, cum Magniff. Baumgart. Nutzelio, fratre Philippo & amico Calandrino: ad quem litteras dare non vacat. Francof. VI. Jan. 1593.

LII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

LII.

DEſiderio tuo, V.CL. ſatisfecerim lubens. Sed nullum hîc nobis lumen majus, quod has turbatas tenebras diſcutiat. Languent ubique omnia: inepto rebus agendis tempore, aut laborum diuturnitate feſſa. Mansfeldius hæret adhuc in limite: & pecuniam deeſſe & auctoritatem duci, ajunt. De Lediguierio nihil confirmare vobis poſſum: quod ſcribis, hoc idem litteræ Italicæ ſignificant. Sed Delfinatum tradere Amedæo non fas illi, quem in poteſtate non habet: nec facile aut Alfonſo Corſæ, aut Nobilitati ſubire jugum Sabaudicum & Hiſpanicum perſuaſerit. Tu verò fructum civilium bellorum noſti, perfidiam: & corrumpunt illa etiam candidiſſima ingenia. Nolim hoc tamen de Lediguierio ſuſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſuſpicari, nedum judicare. Sed iſta πάντ' ἀνακαλύπτον tẽpus edocebit. Res Argentinenſis ubi hæreat non video: niſi tot illa Capita obſtant rerum curſui. Cæſarei, ſequeſtratione ſequeſtrata, partitionem epiſcopatus proponũt. Video eos in id totis viribus incumbere, ut arma noſtris extorqueant, ut fluant inde facilius conſilia. O animos animi inanes! Philippus Naſſovius cum Hohenloio 4000 militum ducit in Lutzeburgicam ditionem, ut ajunt: nam quo expeditus properet, non probè conſtat. Numerus ille non eſt de nihilo. Nos ex Hollandiâ nihil habuimus litterarum: ideo quò illa ſpectet expeditio, non auſim affirmare. De filio tuo nihil inaudivimus. Scripſi bis terve ad D. Cognetium, ſiquid inveſtigare poſſet, de eo ut me redderet certiorem. Sed

ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ab eo nihil jam aliquot menſes litterarum habui. Siquid ego reſcivero, faciam id ut & tu ſcias. Vale Clariſſime Dn. D. & ſalve cum Magnif. Dn. Baumgartnero & Nutzelio, & Clariſſ. Dom. D. Philippo. Francof. 23. Ian. 1593.

LIII.

IIs quas ad me 23. Ian. dediſti, reſpondeo. San-Valerium deditione in poteſtatem Longovillani venit, quamvis ad portas eſſet Aumalius, copiis quam Longovillanus inſtructior. Malè inde Aumalius audire, apud Ambianenſes maximè & Abbevillanos. Somonæ enim oſtium claudit San-Valerium. Et Abbevillani quidem, recipere illum intra mœnia noluerunt: & de Regis ſubeundo imperio cum vicinis Ambianenſibus, agitavere. Cecidit illa tractatio, ſpe novi Regis, quem

quam omnibus Mænius oſtentat, & Belgicorum auxiliorũ apparatu: quę hærere in limite, & Ducem Ferianum expectare quidam volunt: alii progreſſa affirmant. De Rege nihil omnino habemus certi. Sed Pariſienſes in electionis propoſito perſiſtunt: & Regem cæteris præponunt omnibus, ſi Religionem abjurare velit: Sin minus, inclinare ad Sueſſonum Comitem plebis animos ajunt. Reges Regnaq; in manu DOMINI. Hiſpanus, quod ſcribis, claſſem parat, quam Turcæ opponat, quem ſcribunt plerique conſtituiſſe ineunte vere magno navium numero tentare Hiſpanica littora. Nobis de eo nihil certum. Ioannes Palatinus, quantum audio, venit. Argentinenſe negotium trahitur adhuc, cum nonnulla nominis Germanici infamia. Bullionius Tremblecur-
tium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tium Lotharingum ad Virodunum fudit, & ad civitatis uſque portas perſecutus eſt: annonam quæ Villamfrancam deferebatur, intercepit. Carolum Suecum audio Regnum ſibi vindicare, & plebis Nobiliumque favore ſubnixum, occupare munitiora loca. Et in Tranſilvania neſcio quid exortum tumultus. De utroque ſi quid habetis certi, peto ut nos edoceatis. Vale Vir Clariſſ. & & ſaluta à me Magnif. Dn. Baumgartnerum & Nutzelium, cujus filius valet: & Clariſſ. Dn. D. Philippum. Francof. pridie Kal. Februarii. 1593.

LIV.

CArnutum attigimus ſalvi. Uxorem & liberos in hac vicinia relinquere Dom. de Freſnes conſtituit: & hinc recta ad Regem tendere, quem in Normandia

dia ad Diepam eſſe ajunt. Ajunt, inquam: Nam Majeſt. ejus nullus certus locus, vocantibus & diſtrahentibus eam negotiis variis. De ſtatu vero rei noſtræ ſcribam ad te prima occaſione pluribus. Interim ne quid deſiderares à me, & ne repetere eadem cogerer, quas ad Peucerum jam exaravi, ad te mitto apertas. Leges eas & communicabis amicis. Inde, complicatas cera firmabis, & mittes Vale Vir Clariſſ. & ſalve cum Clariſſ. Dn. D. Philippo, Ampliſſ. viris Dom. Baumgartnero, Nutzelio, Firero, Geidero, Ornatiſſimo Dn. Calandrino & Scipioni Gentili. Brocardum, quantum res tua patitur, tibi commendo. Carnuto 9. Nov. ſt. n. 1593.

LV.

QUid tibi Vir Clariſſ. pro tuis (4 Febr. ſcriptis) rependam, nihil

nihil habeo. Pendent res Argentoratenſes: nec enim quicquam adhuc de Cæſaris Legatorum è Lothoringia reditu audivimus. Certè ſi res iſta ſic abit, vereor ne magnum vulnus libertas Germanica accipiat: nam dignitas penè interiit funditus. De Manſfeldii in Galliam progreſſu, nihil etiam certi: Hoc vero certum, Pariſienſes Electionem tyranni urgere. Hîc ego auxilium è cœlo exſpecto, & Babylonicam inter ipſos confuſionem. Ordines Hollandici ſeſe ad bellum validè comparant: militem conſcribunt, machinas Dordracum cogunt. Sed Philippus Naſſovius, re infecta Luzelburgo diſceſſit: & fuit ei ad improviſam irruptionem nimis longum conficiendum iter, & iniqua tempeſtate. Quod de Suecia & Polonia & Turca ſcribis, id & nos comperi-

mus:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

mus: adeo nihil nunc penè bello liberum. Turbat & in Scotia Hiſp. per emiſſarios ſuos: Duo cogitat: & aditum ſibi in Angliam aperire, & ipſa turbata Anglia, auxilia quæ inde nobis crebra adveniunt, impedire. Imperatorem miror, imminente Turca, non modo non mederi malis publicis, ſed ea etiam exaſperare magis magiſque. Argentinam ſcilicet & Juliacum cogitat: Maximilianus Poloniam: Hiſp. Galliam, imo Orbẽ. Zelus ille nimirum eſt domus Domini, quo exeduntur. Sed te & tecum bonos omnes Deus bene ſervet. Salutat te & amicos Illuſtris Dn. Legatus: quibus & ego ſalutem dico. Francof. 14. Febr. 1593.

LVI.

NImis tu verè, Vir Clariſſ. de pręſenti rerum ſtatu judicas.

Ma-

Magno malo publico Argento-
ratenſe negotium non deſeritur
tantum ſed & corrumpitur. Sed
rem penè tranſactam hodie ar-
bitror: Cui bono, auctores vi-
derint. Illuſtriſſimum Bullionium
officio hac in re functum ſuo, ne-
mo negaverit, & fatentur libe-
rè Argentinenſes ipſi, nec diffi-
tentur hoſtes. Regem Burdega-
lam profectum falſò ad vos per-
latum eſſe audio. Andegavum
excurriſſe ajunt, ad firmandam
Britanniam quæ & Mercorii for-
tuna & auxiliis Hiſpanicis labora-
bat: ſed ſtatim revolaturum con-
ſtat. Præſidia in Picardia qua iter
faciendum eſt Mansfeldio, ita in-
ſtituit, ut & lentè & coartato ag-
mine incedere hoſtis cogatur, &
magno incommodo rem fru-
mentariam ſecum trahere. Quic-
quid paulo longius à conferto
agmine diſcedit, excipiunt noſtri:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

& centum currus interceperunt qui annonam vehebant Lutetiam, fuſis equitibus 400, peditibus 500, qui præſidio erant additi. Turmam Italorum equitum quibus ſupellex Ducis Feriæ deducenda erat commiſſa, ajunt direpta ſupellectile in partes Regias tranſiſſe. Ordines Hollanlandici valdè ſe comparant, ineunte Aprili educturi copias. Sed in Scotia gravis conjuratio ita detecta eſt: Ex frequenti quorundam diſcurſatione, in ſuſpicionē venerūt Miniſtri agi aliquid inter proceres, in perniciem Regni: Inquirunt diligenter, & diſponunt certos homines variis locis, qui non actiones modò, ſed & nutus eorum obſervent quos ſuſpectos habebant, & litteris inſidias tendunt. Succeſſit: litteræ enim interceptæ ad Hiſp. Regem, ſubſcriptæ manu Conjuratorum omnium:

nium: Regem Hiſp. miſeri illi Regem & Dominum ſuum ſalutantes invitant: portus & ſe ſuaque omnia offerunt. Comitem Argucium, caput conjurationis captum ajunt. Et Rex ipſe Anglis ſuſpectus eſt. Mihi probabile non eſt, Regem, etſi non omnino ut decebat benè habitum, ſæviſſimam ſibi ſuiſque tyrannidem accerſere velle. Omnino non niſi uno Deo duce, tenebras has evadere poſſumus. Ei te ex animo & amicos omnes, in quîs Magniff. Dnn. Baumgart., Nutzelium, Clariſſ. D. Philippum, commendo: Eos & te ſalutat Dn. Legatus. Quid rei ſit Panacea Amvvaldina, quis ille Georgius Amvvaldus auctor, cognoſcere de te cupio, niſi moleſtum eſt. Dn. Legatus ante paucos dies litteras ab Ampliſſimo Dn. Nutzelio accepit ſcriptas Novembri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

menſe: ad quas reſpondere feſtinante tabellario non poteſt: ſed ſalutem ei tibique dicit, brevi vobiſcum futurus. Vale Clariſſ. Dn. xx, Febr. 1593.

LVII.

PAriſienſis conventus exitum expectamus. Alienos à pace animos Mænius & Cardinalis Senonum, publicis orationibus ſatis oſtenderunt: quo ipſo graviter plebis offendiſſe animos dicuntur, quæ & pacem vult, & Regem, quem ipſis natura dedit, aliis omnibus videtur præferre. Sed nihil aliud voces à plebe faciunt, quàm Duces cautiores & ad partes firmandas attentiores reddere. Pontificios qui Regi adſunt, invitavit publico ſcripto Mænius: Obtulerunt illi ſe ad colloquium, loco etiam conſtituto Lutetiam inter & Sandionyſium. Infre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Infrequens in illo conventu Nobilitas: Summæ rei tractatio dilata. Mansfeldius lentè & cautè progreditur. In Scotia pacatos tumultus ajunt, fuſo Huntlæo Comite, cæſis ad 500 è conjuratis: ipſius Huntlæi arce à fundamentis diruta. Bothvvelem ad Reginam Angliæ ſupplicem profugiſſe, paratum conjurationis arcana detegere, quidam narrãt. Meung (Magdunum quidam dicunt) ad Ligerim oppidum, quinque Gallicis milliaribus ab Aureliano, Bironius Admiralius, Mareſchalci filius occupavit, ad premendum Aurelianum accommodum. De re Argentinenſi coràm, brevi ut ſpero. Interim Vale Clariſſime Dn. D. & amicos colendiſſimos Dn. Baumgarnerum, Nutzelium, Philippum fratrem ſaluta à D. Legato & à me. Francof. penult. Februarii. 1593.

LVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

LVIII.

SAlvi Francofurtum attigimus, Dei gratia. Urbem offendimus refertam milite, qui Argentorato dimiſſus, Hiſpano nomina dabat. Apud nos nihil memorabile. Suburbium Aureliani Tranſligeranum, quod ponte urbi jungitur, noſtri occuparunt: Vereor ut exiguis adhuc copiis, locum minimè munitum tenere diu poſſint. Sed Mansfeldius, poſtquam dolo ad Noviodunum non ſucceſſit, vi rē aggreditur, & obſidione urbem tentat. Regiæ Copiæ Compendii conveniunt: Interim Noviodunum cum 300 equitibus ingredi Dominum de Humieres, Rex juſſit. Gertrudenbergam à Mauricio Comite peti quidam auctores ſunt. Nobis necdum conſtat quo ducturus ille exercitum ſit. Sed in Scotia

tia res nondum pacatæ. Conjuratorum reliquiæ, ultimam illam, montibus & ſylvis acceſſu difficilem Scotiam tenent, & portum habent in poteſtate, in quem admittere Hiſpanica, ſi advenerint, auxilia poſſunt. Eò valde turbatur Anglia: & vereor, ne tandem ſentiat, conſultius fuiſſe, vicinum ſibi mare ſub imperio retinere, quàm ad dubiam ex India prædam excurrere: quæ in publicum nihil, privatim parum adfert commodi. Lediguierus poſt actas ex valle (quam S[t]. Iehan de Moriane vocant) prædas; ad Camberiacum eſſe dicitur. Argentinenſes & Cardinalis ad diem 29. Martii ſt. n. Spiram vocati ſunt. Illuſtris Dominus Legatus, ejus lectiſſima Conjunx te & Magniff. Dominos Baumgartnerum, Nutzelium, D. Philippum, Heiderum, Creſſium, Fi-

rerum & amicos iſtic omnes, ſalutant: quorum prædicare humanitatem non deſinunt. Eis me ego adjungo. Illuſtri Domino Comiti Ortenburgico, ejuſque Conjugi Dominus Legatus & conjux & ego ſalutem dicimus. Domini Nutzelii filius huc duas ante nos horas advenerat, acceptus Domino Legato. Valet: nec ſcribit abſens, Heidelbergam à Domino Legato miſſus. Gertrudenbergam Mauricius Comes noctu derepente cinxit, & copias ab hoſtibus cogi ajunt atq; etiam Carolum Mansfeldium revocari, ſolvendæ obſidioni: Sed omnia & ſitu loci & providentia Ordinum ita comparata judico, ut fruſtra futurum ſit auxilium. Vale Clariſſ. Domine Francof. raptim 28. Martij, 1593. Adjunctum faſciculum ut Altorfium cures valde abs te peto. Iterum vale.

LIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

LIX

QUid ad te ſcribam non ſatis ſcio: Ita dubia ſunt omnia. Sed Noviodunum, ſemel repulſo hoſte, deditionem feciſſe certum nimis. Commoda nobis urbs, ſed parum munita, & Rege abſente, remota auxilia: Nec in tempore adeſſe Bullionius potuit. Regem ex Turonibus rediiſſe confirmant: ex quo meliora ſperare incipimus. Sed ni Deus Rempub. Chriſtianam reſpexerit benignus, vereor ne ruant omnia: ita neminem video cui publica ſint curæ. Gertrudenbergam artè premit Mauricius, unicum, ſed tranſplantatum, decus Germaniæ veſtræ. Caſtellum impoſitũ littori, quo urbs maxime tegebatur occupavit: & ita cinxit oppidum, ut, niſi cœlo delabantur, auxilia induci nulla poſſint. Chriſtianus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Anhaltinus in aula Palatini Electoris hæret. Fortaſſe & huc excurret. Negotium Argentoratenſe audio Spiræ diſcuti. Sequeſtrationem Imperator urget: nimirum ut manus ipſe injiciat provinciæ vacanti. Vale V. CL. & ſalve cum amicis ab illuſtri Domino Legato & à me. Francof. 4. Apr. 1593.

LX.

HAnc, quamvis ſubitam, ad vos ſcribendi occaſionem amittere nolui. Novioduno recipiendo Regem incumbere ajunt, qui ad ejus obſidionis nuntium è Turonibus in Picardiam advolavit. San-Quintinum proditione laboravit: ſed Bullionii adventus remediũ attulit. Mansfeldius retroceſſit & ſe recipit in Han. Gertrudenbergam Mauricius Comes, occupatis propugna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

pugnaculis duobus, arte obſidet. Obſeſſis exigua auxilii ſpes, unde noſtris occupandi fiducia. De Aureliano à noſtris occupato, rumor Antverpiâ, cui ego nullam fidem. Argentoratenſes metus ſequeſtrationis tenet, quam Legatos Principum probare ajunt. Crede mihi, vir prudentiſſime, illâ portâ inferet ſe in vos ſervitus: & video veſtros omnes ſubire jugum paratos: adeo nemini nec de publica nec de privata ſalute cura. Clariſſime Domine vale & Magnif. Dominos Baumgartnerum, Nutzelium, Gheiderum, Firerum, & Philippum fratrem ſaluta à me & à Domino Legato. Francofurto 8. Aprilis, 1593.

LXI.

TUas reddidit mihi filius tuus. Is velim ut & Domini Legati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

gati & mea opera liberè utatur. Tibi eam tuiſque debemus. Scripſi ad te nudiustertius raptim. Ex eo, cognovimus Bullionii Ducem, præſidiarium militem oppidi Han, qui domum Novioduno revertebatur fudiſſe, & aliquot bellica tormenta quæ oppido illo ad Novioduni oppugnationem petita erant, cepiſſe. Regem è Turonibus advolaſſe in Picardiam, Noviodunum etiam obſidere quidam addunt, & receſſiſſe Mansfeldium. Neverſium cum mediocribus copiis ad Regem properare: in itinere, Tonodurenſe oppidum (Tonerre) cui Guiſius Dux imminebat, obſidione liberaſſe. Proditio San-Quintini, ita habet. De oppido tradendo cum Mænio tranſegerat præfectus oppidi, cum ei commodum, litteræ à Bullionio redduntur, quibus adventum

ſuum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſuum ſignificabat. Fingit ille apud cives, noctu venturum Bullionium, ad Noviodunenſium auxilium properantem: non eſſe itaque quod turbentur, ſi noctu intromitti armatos videant. Interim Mænium accerſit & noctu adeſſe jubet. Suſpectum hoc civibus prudentioribus. Emittunt ſpeculatores, qui adeſſe Mænium & pedetentim accedere referunt. Injecta præfecto manus: & noctu adveniens Mænius militariter globis bombardicis exceptus. Ita, Dei ſumma Gratia, urbs ſervata. De Gertrudenberga nihil addo. In bona ſpe ſumus. Cæterum pro remediis præſcriptis habeo ſummas gratias. Catarrhus ille, torrentis in modum ſcapulas & dorſum & renes pervagatur. Magnum malum timeo. Utar remediis quæ mihi communicare dignatus es. Siquid ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

bes quod mole ſua faſtidium non pariat, id me ſcire velis. Tibi & Illuſtri Domino Comiti ejuſque lectiſſimæ Conjugi & Magnif. Dn. Baumgartnero, Nutzelio, Philippo fratri, Dominus Legatus, ejus conjunx & ego ſalutem. Vale. Francof. xi. Aprilis, 1593.

LXII.

NEſcio quomodo mercatus Francofurtenſes veritatem ita mendaciis involvunt ut quid ſequaris non habeas. Jam Noviodunum ab Mansfeldio minimè captum, Antverpiani affirmant. Ego vero non video quomodo infirmari fides tot aliorum poſſit. Sed Regem cum ſelecto equitatu adeſſe, & retrocedere Mansfeldium narrare pergunt. Et Gertrudenbergam ita arctè premi, ut ejus potiundæ magna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

magna ſpes ſit. Poſt occupata illa de quibus ſcripſi propugnacula, exundationibus coacti ſunt noſtri majus propugnaculum deſerere, ſed ſubſidentibus aquis, quod deſeruerant receperunt: Et ſe exteriori foſſa & vallo ita muniverunt, ut extremum hoſtis impetum non valde pertimeſcant. In Scotia pacata omnia Angli renuntiant: & Regem Scotiæ publico ſcripto Conjurationis originem, conſiliaque prudenter & graviter expoſuiſſe. Genevenſem civitatem Sabaudus nuperrimè aggreſſus eſt. Spes eum fefellit. Ad diem 4. April. acceſſit ad urbem Amedeus cum armatorum 5000: ſequebatur Nemurſius. Oſtendit ille ſe mœnibus, nec quicquam ultra tentavit. Suſpicantur nonnulli vocatum eum adveniſſe, nec ſucceſſiſſe proditionem. Libellulos ad

te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

te mitto quoſdam, quos amicis communicabis, inter eos Caſauboni Theophraſteos Characteres. Dignus & doctrina & moribus, qui Altorfium veſtrum exornet. A Gentili didici vacare profeſſionem illam de qua loqui nos memini. Tu, virorum optime, confer hac de re cum Clariſſimo fratre Philippo, & eum atque Magnif. Dominos Baumgartnerum & Nutzelium, & Illuſtrem Dominum Comitem Ortenburgicum ab Illuſtri Domino Legato & à me ſaluta. Francof. raptim, 16. Apr. 1593. Peto à te, V.CL. ut faſciculos adjunctos curare velis Onoltzbachium, unum ad Joſuam Putkamer, alterum ad Waldenfelſium, quem revertiſſe arbitror. Faſciculos Dominus Nutzelius F. curat ad vos perferendos.

LXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

LXIII.

TUis reſpondeo quas dediſti Cal. Maii: Et de Sabaudo primùm, quem in Galliam brevi cum valido exercitu ingreſſurum Itali narrant: Nugæ. Habet Sabaudus quod domi agat, quodque repurget antequam aliena ingrediatur: & erit ei ad id exercitu opus non invalido: quem conſcribit apud Neapolitanos, Mediolanenſes, Helvetios. Sed ubique parum volentes militum animos experitur. Et ipſos Lucernenſes audio militem ei negare. Militem apud Helvetios etiam Lediguierius cogit: Et jam vix ſolutæ ſunt nives, & rediit tempeſtas illis locis bello apta. De Niverſio Duce fugato, magis majores nugæ: illos enim, Sabaudum dico & Niverſium, aliquot Provinciæ diſparant. Raro aulâ Niverſius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

verſius abeſt: & ſi abeſt, in Campaniam excurrit, cui à Rege præfectus eſt. Cladem Eſpernonium accepiſſe non cognovi: ſed, tentaſſe noctu Maſſiliam, nec ſucceſſiſſe: & ex eo caſtella circum urbem excitaſſe. Regem à Catholicis deſeri mihi nondum narratum eſt. Mantæ ad Sequanam mediocres habere copias conſtat: & pacis exſpectatione ſuſpenſos utriuſque partis animos eſſe, fatigatos nimirum tam gravi bello. Cujus utinam finis! Sed, quod Regis Electionem attinet, procul ſpe ſua & Hiſpani & Lotharingi. Stat enim & plebi & Nobilitati, Regem extra Regiam familiam non quærere: & poſtquam Regios principes examinaverũt, nullus iſto nomine & onere dignus, hoc Rege vivo, comparet. Palàm hoc & Duci Feriæ & Mænio, Lutetiæ in conventu cognitum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tum. De Filio tuo ad Dn. Sillerium Regium apud Helvetios Legatum, ſcripſit Dn. Legatus noſter: Ille omnium facillimè inveſtigare poterit. Eſt enim Baldaſar, quem ſcribis, Solodurenſis, notiſſimus. Quid Brandeburgici novi tractent, neſcio: Hoc tamen agi audio, ut Collegio Argentinenſi pellantur ii, quos Calviniſtas vocant, Truchſeſius & Solmius: Nimirum, nequid Pontificii habeant quod objicere illis poſſint. Si hoc fit, crede mihi, altiores radices hoc conſilium habet: Et erit Germaniæ veſtræ exitioſum. Hæc ad tuas. De pace apud nos plerique ſperant. Lotharingię Dux cum Mænio Remis eſt: Pontificiorum partis utriuſque legati XII. Lutetiam & San-Dionyſium inter conventui locum dixerunt Aubervilliers. Regem petitum globulo, ictum thorace

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

race ferreo, quem fortè habebat, excepiſſe ſalvum ajunt. Petrus Erneſtus Mansfeldius Antverpiæ eſt, adventat eo & Fuentez ad exercitum componendum, quo Gertrudebergæ obſidionem ſolvant: & ad Equitum 3000, peditum 10 mill. confecturos ſe arbitrantur. Sed obſidentium quàm obſeſſorum difficilior omninò futura videtur oppugnatio: ita egregiè ab omnibus muniti ſunt. Itaque judicant nonnulli Mansfeldium aliam fortè urbem obſeſſurum, ut Gertrudebergâ noſtros avertat. Ludovicum Naſſovium hîc in viciniâ exſpectant intra paucos dies. Clariſſ. Dom. D. vale & ſalve ab Illuſtri D. Legato, & à me cum Illuſtri Dom. Comite Ortemb. Magniff. Dnn. Baumgart. & Nutz. & Clariſſ. Dn. D. Philippo. A quo velim diſcere, quod ſit Cæſaris jus in eas civitates

tes quas Imperiales dicunt: Quot ſint eæ quæ liberæ dicũtur, qualis eſt Argentina: & quid ab illis differant. Hoc peto ut percontari non graveris. Dn. Legati Conjunx valet: ſed ſub onere penè fatiſcit, nec eſt ad ſolitum hilaris. Clariſſ. Dn. iterum vale. Franc. IX. Maii. 1593.

LXIV.

ITalica veſtra antiquum retinent. Lotharingus Remis fuit, nec viſo hoſte Nancæum rediit. Bullionius adhuc in aula Regia verſatur. Sabaudus, ipſis Italis auctoribus, 1500 equites, 8000 pedites in exercitu habet: & Turino moviſſe illi ſcribunt. Nos nihil habemus quod confirmare vobis poſſim. Convenerunt Badam Helvetii, deliberaturi, an Hiſpano & Sabaudo miles concedendus ſit. Et omnino jam negaſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

gaſſe Urios ſcribunt. Apparatus Belgici in Mauricium Comitem ſunt militum ad ſummum X millium. Ipſe Mansfeldius pater in expeditione eſt. Sed quid aggreſſuri ſint non conſtat. Caſtra Ordinum veterem in morem vallo foſſaque ita munita ſunt, ut periculum nullum ſit ab externo hoſte. Et Bredam cum equitatu Mauricius Comes conceſſit, ſpeculando hoſti. Obſidentibus hæ pluviæ adverſæ ſunt. Apud nos de pace tractatio procedit: quo fructu, aut qua ſpe, nondum pronuncio. Nomina eorum qui tractant, ſcripſi ad Dominum Calandrinum. Sed quid Spirenſis conventus allaturus ſit, ſcire aveo. Lotharingus ſanè, quantum video, iſta ridet. Et ridiculum ſanè: Verbis eum ſperare ceſſurum, qui tot armatis non ceſſerit. Oppidum Benfelt opere munit & ma-
chi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

chinis firmat. Scilicet ut omnino inſtructum arbitris Principibus in manus tradat! Prudenter ille, qui arma expedit, dum veſtri verba fundunt. Hîc de Illuſtriſſ. Electoris nuptiis multus ſermo: & profectum ajunt Heidelbergâ ad Virginem viſendam. Cluſius noſter jam quintam ſeptimanam decumbit, ex caſu. Melius habere incipit. Et puto ad te ſcripturum. Bibliopola eſt apud nos, qui bibliopolium ad Curiam habet: homo ætatis ſatis provectæ: rerum Chymicarum non imperitus. Is nuper librum oſtẽdebat Germanicum de Quinta eſſentia ſcriptum manu & alium domi ſe habere dicebat Paracelſi, cui titulus Apocalypſis: & exſcribendi copiam ſe facturum promittebat, ſi diutius apud nos moraretur. Valde abs te peto, ut commodo tuo videas, An illos

exſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

exſcribendi facilis ratio eſſet. Mercedem ſcribæ lubens ſolvam. Vale Vir Clariſſ. & audaciæ huic meæ pro tua humanitate ignoſce. Illuſtris Dn. Legatus te & amicos omnes amicè ſalutat. Idem & ego officioſè. Francof. 23. Maii. 1593. Addidi his litteras à Cluſio. Tuas reddidi Fiſchero.

LXV.

HOdie Illuſtriſſ. Elector apud Comites Hanovienſes divertitur, biduum Dillenburgi futurus: & ſtatim nuptias dicuntur celebraturi. Quod fauſtum illis accidat precor. Noſtri in tractatione pacis perſtant. Mihi & Caroli Mansfeldii ad fines noſtros mora, & illa ipſa nimium ducta tractatio ſuſpecta eſt neſcio quomodo. Etſi & illi aliæ morandi cauſæ eſſe poſſunt: & hæc cito explicari omnia non poſſunt. Petrum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

trum Erneſtum ajunt propugnaculum quod obſidionis initio ad Gertrudebergain noſtri deditione occuparunt, aggredi conſtituiſſe. Ei præfectus eſt Hohenloius. Argentinenſia, quantum audio, in longum abeunt. Sed militem cogere Lotharingum confirmant, qui vereor ne totus in Bullionium incumbat. Lutzenburgum adveniſſe Cardinalem Auſtriacum, rumor eſt, qui Belgio imperare debeat. Dn. Legati Conjunx filium peperit, infantem elegantiſſimum, die 26. Maii hora prima diei. Valet mater cum partu, Dei gratiâ: & te ipſa ac Maritus ſalutant : petuntque ut & ipſorum verbis ſalutem dicas Illuſtri Dn. Comiti Ortenb. Magniff. Dnn. Baumgart. Nutzelio, &c. & Dn. D. Philippo. Quos omnes & ego officioſè ſaluto & te valere opto. Auctorem jamdu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

dum quæro qui Germaniam veſtram diſtinctè partitam deſcripſerit. Cæſaris, Electorum, Principum, Epiſcoporum, Comitum, Civitatum liberarum & Imperialium, Baronum, Nobilium, jura & ſervitutes annotarit. Tu aut frater, ſi quem ſcitis, eum indicate quæſo. Franc. 30. Maii. 1573.

LXVI.

SPe pacis excidimus. Erant omnia quæ ad Regiæ Majeſtatis auctoritatem & Regni tranquillitatem ſpectant, conſtituta, & probata partibus, cùm ultimo loco propoſitum caput, quo à Rege, ut ſemel ſaltem Miſſæ ſollemnia præſentiâ ſuâ honeſtaret, petebant Pontificii, tractationem infregit, negante Rege quicquam ſe de Religionis quàm probaret, inſtitutis remiſſurum, niſi meliora eſſet edoctus. Et ſperaverant illi

illi priorum capitum dulcedine ultimi capitis amaritudinem ita temperatam fore, ut id nullo negotio Rex deglutiret: ex ſua alienam conſcientiam judicantes. In Cadurcis Marchio Montpeſatius Mænii privignus à Vicecomite Aubeterræ fuſus, ſuorum amiſit 1000 milites, equos ducentos, tormenta duo. Et in Britannia Boyſdauphinius, à noſtris non leve damnum accepit, cæſis amplius 800. & captis nonnullis. Et milites Lotharingicos 200, præſidiarii milites in San-Menehou fuderunt. Rediit Sedanum Bullionius cum copiis. Gertrudebergam deditam v. hujus menſis ſt. n. ajunt. Hoc vero conſtat, IV. hujus, poſt oppidi præfectum & quoſdam è præcipuis, globo uno è caſtris jaculato ſublatos, & deſperatum auxilium, de deditione agere cœpiſſe. Scribit ad me

è caſtris amicus, quem eò videndi ſtudium traxit, nihil à ſe viſum aut auditum illis caſtris fortius, nihil modeſtius. Propugnacula tantæ molis eſſe, ut veterum Romanorum opera referant: ſed eo ordine & ſilentio adminiſtrari cuncta, ut urbem, & magiſtratuum diligentiâ & civium obedientiâ tranquillam, non militum turbam putes. Sabaudus XV. ſigna Helvetiorum impetravit, quorum operâ non niſi intra Pedemontii limites utatur. Me novum malum invaſit: cujus tamen anno ſuperiore principia ſenſi. Sudores ſub auroram copioſi erumpunt ſponte, quos ſi arceo, totum diem gravari totum corpus, juncturas maximè ſentio: ſi indulgeo, levius quidem habeo, ſed exhauriri corpus ſpiritibus debilitas prodit. Tu, ſi quid ſcis,

ut

ut ſcis, conſilio tuo juva. De Chymicis, fiat commodo tuo. Ego iſtorum lectione & diſputationibus & artificiis unicè delector: Uſum non improbo, quòd nullus ſit, ſed quòd is parùm notus: nec noteſcet facilè niſi per ipſum uſum. Tu verò Clariſſime Domine vale, & ignoſce homini, familiaritate tua liberius abutenti. Illuſtris Dominus Legatus & ejus Conjux, virgineſque te ſalutant plurimum: ſed illi & ſalutari à ſe Illuſtrem Dn. Comitem & Magniff. Dominos Baumg. & Nutz. & Clariſſ. D. Philippum cupiunt, quibus ego officia mea. Franc. 6. Junii, 1593.

LXVII.

INſolens ſilentium tuum miror. Non ego tam pertinax: poſt binas, ad quas nihil à te accepi, ſtylum repeto. Tranſiit hac Il-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

luſtriſſimus Princeps Palatinus Elector cum conjuge die 20. Junii, eleganti comitatu. In utriuſque facie, lætitiam quandam notaſſes. Aderat Bipontinus: & Durlachium Heidelbergam adveniſſe arbitror. Sed Gertrudenberga dedita eſt ad diem 24. Junii ſt.n. Completa erat tribus locis foſſa: pontes qui propugnacula exteriora muris jungunt, disjecti tormentis: pulvis Bombardicus obſeſſos deficiebat: nec promiſſis ſteterat Mansfeldius, qui 23. diem auxilio dixerat. Eo die notati natantes è caſtris hoſtilibus ad oppidum milites quatuor: ſcaphis inſequi placuit. Unus, unde venerat effugit, alter ſubmerſus, tertius cæſus, quartus Hiſpanus natione vivus in poteſtatem Mauricii Comitis venit, & inventæ litteræ cera inductæ, appenſæ genitalibus: Is poſt examen

men ſuſpenſus eſt. xxv. die egreſſus eſt miles, ad 450. gladio & pugione accinctus: clementer à Mauricio Comite habitus, qui prudentiæ, virtutis, moderationis partam laudem confirmavit. Pene in conſpectu Hiſpanici exercitus, qui numero noſtrum longè ſuſperabat, facta deditio. Apud nos, nondum intermiſſa eſt de pace tractatio: & periclitatum ajunt Lutetiæ Pontificium Legatum, rumore in plebem ſparſo, magnum illum paci impedimentum adferre: parum abfuit quin in Sequanam abjiceretur, abluendis ſordibus, & nimio calori temperando. Ego quid ſperem metuamve, necdum pronunciare audeo: ſed vereri me plura, quàm ſperare, confiteor. Rex interim Dreux obſidet, Druidarum oppidum interpretantur: & ipſo potitum oppido

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ajunt, arce nondum captâ. In Sueſſonibus grando cecidit pondo 12, imò & 17 librarum: quæ ſata arbuſtaque & multos mortales malè multavit. De filio tuo diligenter amici quæſiverunt, & inter alios Domini Legati rogatu Dominus Sillerius, apud Helvetios Legatus: ſed cognoſcere adhuc nihil potuerunt. Reddat tibi illum Deus ſalvum ſalvo. Salutem tibi Dominus Legatus & ego dicimus; Dicimus & Illuſtri Domino Comiti, & Magniff. Dominis Baumgartnero, Nutzelio, D. Philippo, aliis amicis omnibus. Francofurto 25. Junii, 1593.

LXVIII.

SAlvum rediiſſe in notas pacatasque terras filium tuum, & alterum ſummo inter literatos titulo auctum, tibi gratulor. Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſilentio tuo, abſentiam tuam conjectatus, ſilui & ipſe. Et inter tam diverſa adverſaque quæ ad nos rumoribus perferebantur, non erat admodum quod ſcriberem. De pace apud nos exigua ſpes. Pontificii noſtrarum partium, ſpem illam pacis oſtentantes, & pernicioſis quibuſdam conſiliis frangendis, à Rege obtinuerunt ut ad diem xv. Julii Carnutum, Doctores & Epiſcopos Pontificios vocaret. Idipſum jamdudum à Rege præſtitum, ex fide ſtatim à morte Henrici III. data, oportuiſſe, prætendentes. Sed & noſtrorum primoribus eundem diem dixit. Quo tandem iſta evaſura ſint, ſumus omnes ſolliciti. Rex ipſe Eccleſiis reformatis in Gallia omnibus jejunium indixit: Nos & hîc die proxima Dominica celebrabimus. Non magis neceſſario tempore,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

nec magis aut conſiliis deſtituti humanis aut opibus, ad æterni illius Patris clementiam & auxilium recurremus unquam. De Gertrudenberga dedita ſcripſi antea, & vos aliâs cognoviſtis. Mansfeldius ex eo, Caſtrum cui Creveceur nomen, Bolducum (vos Hertzogenbuſch vocatis) & Heuſdam inter, illi oppido infeſtum, obſedit: Brederodius quidam tenebat, neceſſariis omnibus probè munitum. Adventu Mauricii properè ſoluta obſidio. Druſium Rex (Dreux) cepit, commodum abſente præfecto. Ad id liberandum Carolum Mansfeldium iter ingreſſum ferebant, & occurrere Regem ſtatuiſſe, cui nova ex Anglia auxilia adventant. Pro conſilio, quo valetudinem meam firmatam cupis, gratias habeo. Sequar. Me enim annum ætatis 39. nondum egreſſum debilitas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

bilitas in dies major, & veluti advolans ſenium occupat. Chytreum vidi & legi: quamvis mihi nec diſpoſitio, nec judicium, nec qui ex judicio pēdet dilectus placeant, exſtare tamen ejuſmodi aliquid de cæteris provinciis velim. Munſterus, & mancus eſt, & turbidus. Si quis tibi venerit in mentem alius aut Domino D. Philippo, indicate. Vale V.CL. & Magniff. atque Ampliſſimos Dominos Baumgartn., Nutzelium, Firerum, alioſque, inprimis Illuſtrem Dominum Comitem & Clariſſ. D. Philippum, ſaluta à Domino Legato, ejuſque lectiſſima conjuge, & à me. Francof. 4. Julii, 1593.

LXIX.

DE grandine quę ad te ſcripſi, ea ſcripſi uti ea comperi: nec uncias, ſed libras volui. Quo loco res

res noſtræ ſint, cognoviſti de poſtremis meis. Nos expectatione conventus ſuſpenſi ſumus. An ad diſputationem de Religione ventura res ſit dubito: nec ſpero. Sumus ad id peſſimè inſtructi, ſtudia per iſta civilia bella extincta ſunt. Nec nominare ullum è noſtris poſſim, quem minimo Jeſuitulo audeam componere. Sed non pendet ex iſtis veritas, à Deo & per Deum firma, quam nemo loco movebit. In Belgio nihil ex eo accepimus ex quo ad caſtrum Creveceur, Hiſpani quatuor tormentis relictis, 800 è ſuis amiſerunt. Hærent & Mauricius & Mansfeldius circa Duciſſylvam (Hertogenboſch:) hic firmare, introducto præſidio, oppidum conatur, ille per inundationes ademptis paſcuis, ad deditionis neceſſitatem adducere tentat. Sed præſidium cives aver-

averſantur. Italorum de Sabaudi progreſſibus ſermones, ſermones ſunt. Exemplum ſententiæ Nobilium & Parlamenti Conjuratorum, de Regis Electione, ad D. Calandrinum mitto Gallicum: qui tibi communicabit. Ex eo cognoſces quid Erneſtum in Belgium pertrahat. Sed irritam ejus ſpem fore ſpero. Peucerum cum Principe Anhaltino hic videbimus, Deſſam iter habentes, Marpurgo & Caſſellis. Sed de furoribus Miſnicis quid exſpectandum, aut potius quid non timendum putas? Scintillæ ſunt, quibus vereor ne conflagret Germania. Adeone ſecuros eſſe Principes, ut tumultuantem toties plebem ferant? Sed tu V. CL. vale & ſalve ab Illuſtri Domino Legato, ab ejus lectiſſ. conjuge, à me, cum Illuſtri Dom. Comite Ortemb. Magniff. Dominis Baumg. Nutzelio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

zelio. Clariſſimo Doct. Philippo. Francof. 10. Iulii, 1593. Tuas Cluſio reddidi, qui ex Wiſbadenſibus thermis rediit ſine fructu.

LXX.

VOcatos Lutetiam Conjuratorum Ordines, Regi legendo, cognoviſti. In eo conventu principes fuêre partes Hiſpanici & Pontificii Legati, & factionis Lotharingicæ. Cæterùm tres ſtatus, ſive Ordines mavis, in Regno noſtro eſſe non ignoras, Nobilium, plebis & Eccleſiaſticorum. Igitur cum agi res cœpit, Regnum ſibi Rex Hiſp. non obſcurè petiit. Quod ut nimis invidioſum eſſe animadvertit, Filiam, matre natam Gallicâ Regno Dominam obtulit. Ut & huic obſtare Salicam legem & antiquum morem vidit, pro Erneſto

neſto Archiduce interceſſit: à quo, ut ab homine Germano, non alienos fore noſtrorum hominum animos ſperabat: nec dubitabat, ut apud illum nomen, ita penes ſe & Hiſpanos vim imperii & ſummam rem futuram. Sed ut auditum eſt nomen Erneſti, quamplurimis eorum qui aderant inauditum antea, horrêre plerique, eò deveniſſe rem Gallicam, ut homo, quem ne natum quidem ſcirent, eſſet ad Regnum accerſendus. Diſplicere Nobilitati Hiſpanica audacia: & qui Senatorum atque Parlamenti nomen inter iſtos tenent, putare atrociora ſubeſſe conſilia, quibus maturè eſſet eundum obviam. Itaque & Nobilitatis ſententiâ, & SC^to^. non Erneſtus ſolum ſed exteri repudiati omnes: & pronunciatum, inſiſtendum majorum veſtigiis, & mores antiquos con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

conſervandos. Senſerunt Hiſpanici, inclinatos & plebis & illius Senatus & Nobilitatis ad pacem animos, nec à ſuo Rege legitimo omnino averſos: & ſuis rebus conſulendum rati, ultimum veluti telum, in concordiam tacito conſenſu adoleſcentem, contorſerunt. Guiſium Ducem, Patre natum, quo & Religio Catholica & Regni dignitas ſtetiſſet: eum magno & Religionis & Regni incommodo, penè exitio, interemptum. Hunc, parente ob Remp. cæſo orbatum, divinitus cuſtodia liberatum, filii loco ab Hiſp. Rege haberi: & filiam ei uxorem intra quartum menſem datum iri, ſi Regem eum Ordines legerent. Aſſenſerunt Lotharingici principes, (quos adfuiſſe XVI. ajunt,) & iis ſe Sorbona junxit. Fremere plebs, quòd pace, quam certam ſperaſſet, excidiſſet:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

cidiſſet: Parlamentum illud ægrè ferre, fraudem legibus, & Regiis Principibus injuriam fieri. Proceres è Nobilitate, qui ſe Hiſpanicis conſiliis apertè oppoſuerant, cedere Urbe. Ita nominatione Hiſpanicâ, Lotharingorum & Sorbonæ ſententiâ, Guiſius pro Rege haberi. Sed interim animos illi adjicere, plebi conciliandæ, & illis Senatoribus corrumpendis. Quid verò faciat plebs inermis, & nudus ille Senatus? Carolum Mansfeldium, Erneſti patris copiis auctum, advocatum, Lutetiam contendere ajunt: Inde, ut nos judicamus, Remos Guiſium deducturus. Sed in conventu Carnutenſi quid actum ſit nondum cognovimus. Mauricius Comes copias ſuas tripartitò diſtribuit. Partem unã ad Bommel inſulam excubare juſſit, alteram in Friſiam miſit: tertiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tertiam ajunt conſcenſis navibus Flandriam petiſſe, quo conſilio neſcio. Et poſſet hoc Carolum Mansfeldium tenere, niſi Gallia Hiſpano præ Belgio cordi eſſet. Sed & Mansfeldius Petrus Erneſtus, exercitum ſuum itidem diſtribuit: Nam ad Bolducum partem reliquit, partem in Friſiam tranſmiſit: reliquam eamque maximam filio Carolo ſubjecit. Studium tuum in bonum ſenem Brocardum, valde exoſculor. Dignus ille ſanè virorum bonorum cura. Sed nos facultates deficiunt. Omnem lapidem moveo ut ei 300. coronati perſolvantur, quos ei legavit Dominus Segurius. Et ſi mea aliquando melius habebunt, non omittam curam quam ei lubens debeo: & me ejus nomine tibi obligatum agnoſco. Clariſſ. Domine D. vale, Francofurto 24. Iulii, 1593. Salutem

tibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ibi dicit Dom. Legatus, cujus neoque nomine, Illuſtrem D. Comitem Ortenb., Ampliſſimos Dnn. Baumgartnerum, Nutzerium, alios, & Clariſſimum D. Philippum ſalutabis, niſi moleſtum eſt.

LXXI.

GUiſium Ducem ab Hiſpanica factione Regem dictum ex proximis meis cognoviſti: quid Lutetiæ ex eo factum ſit, in dubio habeo: Sed hoc conſtat, invitiſſimâ plebe factam illam nuncupationem: & Parlamenti ſui præſidem unum à Mænio confoſſum quidam ajunt. Hiſp. intra menſem 10 peditum, duo equitum millia & CCCC M coronatorum promittit: altero menſe totidem 400000 coronatorum: tertio filiam uxorem Guiſio & auri milionem. Promiſſa nempe, quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

bus ſtulti ineſcantur. Interim audita illa Guiſii nominatione, qui Carnuti Regis juſſu convenerant, Regẽ adire, obteſtari, ne perditum Regnum vellet. Novum Regem Remos confeſtim deductum, coronatum, ſacratum iri: inanibus iſtis duci plebeculæ animos. Et tranſituros ad illum etiam nonnullos, quos ſibi fidos Majeſtas ejus putet. Itaque properandum San-Dionyſium, & iſtic more majorum, veteri ritu, coronationem celebrandam. Erant inter ſupplices non Pontificii ſoli, ſed & plerique è noſtræ profeſſionis hominibus, viri primarii: nullam neque partibus noſtris neque Regno ſalutis ſpem eſſe judicantes, niſi exorari ſe Rex pateretur. Evincunt: & deducunt Regem præter Principes & proceres, & vulgus, mille quingenti Nobiles viri, & 25 hu-

jus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

jus menſis ſt.n. Coronationis ſollemnitas San-Dionyſii peracta eſt, magno omnium gaudio, & in poſterum ſpe: Lutetiæ is plebis ardor fuit, ut niſi tempeſtivè portas claudi & obſervari Mænius curaſſet, effuſura ſe San-Dionyſium multitudo omnis fuiſſet. Adfuit tamen Regi petenti Renatus Benedictus, Curio ſeu Parochus, ut vocant, San-Euſtachii Lutetiæ: & adfuit, prohibente Pontificio Legato. Virum ajunt eſſe inſigni doctrina: & audivi nuper virum bonum narrantem, ſe illum concionantem audiviſſe, inter furioſam illam plebem, & armatos tyrannos, non ſolum de doctrina & ipſis controverſis articulis purè & religioſè, ſed etiam de ſubjectione Regi debita, animoſè & liberè: ejuſque vitam à Mænio ſæpius palã & per inſidias fruſtrà petitam. De toto hoc negotio quid ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſentiam, non facilè explicaverim. Et quædam ſunt fortaſſe Homini privato impia & improba, quæ in Principe, inſigni aliquo & præſenti bono rependantur. Et qui ad littus, magnum alterius ſpectantes, non ęſtimantes laborem, facilius quæ à laborantibus fiunt reprehendant, quàm emendent. Quid profectum ſit, nondum videmus: ſed confirmare hoc tibi & bonis viris poſſum, horrẽdæ defectioni iſto qualicunque lapſu obviam itum. Deus auctor rectorque Imperiorum, & perpetuus bonorum cuſtos, noſtrum omnium miſereatur, & te atque iſtic amicos omnes, quos ego & Illuſtris Dn. Legatus ſalutamus, ſervet. Tu liberè ad me ſermones omnes omnium perſcribas velim. Francof. ult. Julii. 1593.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

LXXII.

QUid ad tuas reſcribam, neſcio. Ita dubia omnia apud nos atque implicata ſunt, ut explicare ea niſi Deus, nullus poſſit. Accuſarem ego ipſe Regẽ meum atrociſſimè: niſi accuſatores eſſent nimis multi, importuni, præpoſteri. Ita homines ſumus: ſiquid humanitus alteri contigerit, tamquam extra naturam poſiti, illudimus: & quam ipſi non præſtamus conſtantiam, ab aliis requirimus, nec mentem mortalia tangunt. Scilicet, declamitabunt illi in Regem, inter pocula felices, numquam experti adverſa, quos ſcio ad frigidiorem offulam Romam quadrigis petituros, & Papæ advolutos pedibus, ſputum lincturos. Homines, & hominum & Dei obliti. Sed ſuaves illi, qui poſtquam & concionibus

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

& ſcriptis contenderunt publice, Pontificios propius quàm noſtros ad veritatem eſſe, & Pontificiis potius quàm noſtris concedenda auxilia, & qui inter noſtros ob Religionis profeſſionem aut mortem aut morte duriora perpeſſi, eos Satanæ martyres eſſe, jam in Regem inſurgunt, & inconſtantiam objectant, circulatores ipſi & leviſſimi hominum. Ferant ipſi totos quadraginta annos hoc onus; & inde, de conſtantia diſſerentes audiemus. Hodie, circumdatos lauticiis, procul bello & calamitatibus, de pietate, de conſtantia cæteriſque virtutibus illis, ad menſam declamitantes & ſuperbè inſultantes errantibus, & non niſi ſingulari Dei gratia tolerabili afflictioni ſuccumbentibus, non fero. Sed alio me converto: Peccavimus, iniquitatem fecimus. Tibi, Domine,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

mine, juſtitia: nobis autem confuſio faciei. Subjiciamus nos volentes Dei voluntati: & ſeriâ pœnitentiâ Deum exoremus: aliâs, quid nos ſervare poſſit, non video. Et vereor, ne hæc mala noſtra, ad vos tamquam contagio, tranſeant. Magnum ſanè Chriſtianæ Reip. malum inſtat. Cæterum quid apud nos agatur, quidve nuperrime actum ſit, ſpeciatim diſſerere non poſſum: nullas enim ab amicis litteras habemus: & vulgata tibi ignota non ſunt. Siquid autem habuero, id ut ſcias quamprimum curabo. Vide quæſo an in bibliotheca tua aut fratris, aut amici alicujus exſtet liber Wolfg. Fabricii Capitonis Reſponſio de Miſſa, matrimonio & jure magiſtratus in Religionem, editus Argentinæ à Rihelio 1540. Si habes, aut amicorum tuorum aliquis, peto val-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

de, ut mihi legere liceat: remittam integrum & purum. Argentina jam à multis annis nullus exſtat. Vale Clariſſime & præſtantiſſ. Domine & ſalve. Dominus Legatus & ego Illuſtr. Dn. Comitem, Magniff. Dominos Baumgart. & Nutzelium & Clariſſ. Dn. Doct. Philippum ſalutamus. Francofurto, xv. Aug. 1593.

LXXIII.

HAbeo & ago multa, V. CL. quæ coràm malim apud te, quam per litteras diſſerere. Itaque gaudeo, de tuo ad nos adventu quod promittis. De rebus noſtris taceo: & malo te de aliis cognoſcere quàm de me, quæ velim mihi nunquam audita, cognitaque. Sed regit cuncta manus Domini, cui nos noſtraque omnia ſubmittere par eſt. In Allobrogi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

brogibus felices noſtrorum ſucceſſus tibi, ut opinor, aliâs nunciantur. In Belgio, Groningam caſtellis undiq; à Guilielmo Comite paulatim nudari ajunt: & videntur eo confluere Hiſpani quorum 4000. ad Bergham, Rhenum trajecturi eſſe dicuntur. Caroli Mansfeldii miles in limite noſtro, in dies magis ſeditionibus accenditur: rapiunt, incenduntque cuncta, & oppidum quoddam occupatum, ſibi muniunt. Erneſtus apud Belgas in magna exſpectatione eſt. Ego urſiſſe ejus profectionem Hiſpanos non aliam ob cauſam judico, quàm ut Regem nobis oſtentarent Auſtriacum. A Turcâ maximum imminere periculum omnes confirmant. Omnino magni motus undique inſtant. Nos verò Deo nos committamus: cui te tuoſque commendo.

Filium tuum, quem Doctoris dignitate auctum gaudeo, ſaluta à me. Salve & tu ab Illuſtri Domino Legato, & ſalve cum Illuſtri Domino Comite, Magnif. Domino Baumgart. & amicis aliis. Nos de reditu in Galliam ſerio cogitamus: utinam non ſerò. Tu ſiquid me vis, impera. Francof. 29. Aug. 1593.

LXXIV.

VIr Clariſſime, Domine obſervande. Merito longiori te affari epiſtola deberem. Sed profectio urget. Et tu nuper apud nos fuiſti: quæ nota nobis, ea tibi æquè nota. Nam ex quo tu à nobis diſceſſiſti, nihil cognovimus. Hiſpanicum militum Genuæ expoſitum in Belgium properare, tibi ex Italicis literis notum. Miles undique in nos comparatur, corraditur. Nos nudi, ictum exſpe-

ſpectamus: & penè cervicem porrigimus. Saurius noſter Nancæii eſt apud Lotharingum, in pacis negotio. Sed hæc ad vos ego, cùm in res ipſas ingreſſus fuero. In Friſia, hoſtis caſtra occupata, Wedde, aliaque, annonæ inopia coactus, dereliquit: Et aſtu Delfſyl aggreſſus, ad 300. milites deſideravit. Æquum ſit me per litteras Ampliſſimo Domino Baumgartnero, aliis Magniff. Dominis Senatoribus & Clariſſimo Domino Doct. Philippo Cam. valedicere. Sed obruor aliunde. Itaque ſuſcipe tu, Vir Clariſſime, defenſionem meam, & me illis purga, quibus me multis nominibus obligatiſſimum lubens agnoſco. Publicè illi res noſtras promoverunt: privatim me ſumma benevolentia complexi ſunt. Omnino humanitati eorum, prudentiæ, pietati,

multa debeo. Et eſt quod ſibi, devotum me ipſorum nominibus, perſuadeant. Hoc tu illis à me nuncia, niſi moleſtum eſt. Librum tuum, vix lectum, relinquo Hieremiæ Wiſmanno. Hotmanus biduum habuit. Is editionem parat Miſſarum ſeu liturgiarum veterum. Et in illo tuo volumine libellus eſt, ipſi novus, & ad hodiernas convincendas ſuperſtitiones accommodatiſſimus. Ei titulus, Miſſa Latina. Cuperet aut exſcribi aut editum, ut eſt, ad ſe mitti. Quod petit in publicum utile eſt: & te negaturum non ſpero. Sed ſcribet ipſe ad te ſuper hac re. Non poſſum quin tibi bonum ſenem Brocardum commendem: curam bonorum ſanè meretur. Sed obſtant nobis res anguſtæ, quo minus juvare bonum virum poſſimus, ut volumus. Vale verè Vir Clariſſime,

& nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

& nos ama: atque adjuva precibus tuis. Illuſtrem Dominum Comitem ſaluta quæſo à me: ſaluta & prædictos illos omnes Dominos Senatores & fratrem Doct. Philippum. Iterum vale. Francof. 2. Oct. 1593.

LXXV.

FElix nobis hactenus iter fuit. Et mireris tam exacerbatis animis, tam repentè, tantum bellum conticuiſſe. Pauci quidam latrunculi, ſub ipſum induciarum initium, paululum turbarunt: de quibus ſumptum ſupplicium. Ex eo tuta ubique omnia. Et homo ſolus, pedes, eques, ubique ſecurus incedit. Sed, quam ego tibi cultiſſimorum atque amœniſſimorum locorum vaſtitatem atque horrorem; frequentiſſimorum ſolitudinem, quas ruinas referam? Viæ ipſæ publicæ atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

militares, olim peregrinantium pedibus, equis, carris, rhediſque tritæ & onus vix ferentes, pleriſque locis vix apparent, dumis obſitæ ſentiſque. Lachrymas tam miſerabilis, omnium, (ſine invidia dixerim) florentiſſimi Regni facies, etiamſilici excuteret. Huc nos egit diſcordia: ſed diſcordiam mali mores pepererunt, quos tot tam acerbis plagis emendatos, nec video & doleo. Tam dura nobis cervix. Inducias ſcis in quartum menſem productas: & ad Neverſij Ducis, qui Romam ad Pontificem profectus, reditum duraturas apparet. Sed publico edicto tot menſium una voce inducias ſancire non placuit: ne gregarius miles, cui pax parum cordi, turbaretur. Pacem verò cæteri omnes optant poſcuntque. Cives, agricolæ & plebs cætera, atque ipſa Nobili-
tas,
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tas, ſanè ex animo: Proceres atque ii quibus ex bello opes potentiaque, linguâ ſaltem. Sed Mænio & Guiſio parum convenire ferunt: & ille, Hiſpanorum odio, & in Guiſium invidiâ, ad Regem propendere videtur. Hic, vaniſſima Regni potiundi ſpe inflatus, Hiſpanis ſe totum addixit: Pauci auctoritatem ejus ſequuntur. Et ipſam Lutetiam Mænius ſibi firmavit omnino: firmiſſima enim Urbis loca tenet: tenet & civium animos, eo magis, quod pacis futurus auctor perhibetur. Urbes aliæ quæ in conjuratis partibus ſunt, omnes & bellum horrent, & Hiſpanicum jugum exſecrantur. Ita perſuaſum mihi omnino, non facilè ad arma plebem redituram. Et Hiſpano, ſi redintegrare bellum voluerit, magnis machinis, id eſt, magno exercitu, ingenti pecunia, & callidis arti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

bus futurum opus. Religionis negotium, in dubio eſt. Plebs ubique in odio erga nos perſtat. Nec infractam cervicem iſtam tam diuturno bello, tot cladibus, tam gravi Dei manu, miror demirorque. Sed Regi fixum hoc, ſalutem noſtram atque libertatem omni modo tueri. Fert ipſe publicè: Iniquum omnino, eos pace publica arceri, quorum conſiliis armiſque Regnum hoc ſervatum ſit, & de improbiſſimorum hominũ faucibus ereptum. Sed ego & olim & nunc maxime prudentiam, moderationemque in noſtris valde requiro. Quid Neverſius allaturus, etſi divinare penè poſſum, valde exſpectamus. Mirum, ſi Româ boni aliquid. Plura ad te cum plura ipſe cognovero. Rex in Normandia eſt: Quædam iſtic turbata à Villarſio Rothomagenſi præfecto

fecto compoſuit. Freſnius noſter in vicinia eſt apud uxoris fratrem. Cras adfuturum ſpero, Vbi advenerit, iter ad Regem proſequemur. Privata res mea valde accisa atque implicata eſt, amicorum negligentiâ, & procuratoris mei nonnullâ perfidiâ, & vi hoſtili. Hoc ego diuturnæ abſentiæ meæ debeo. Sed hæc nihil ad vos. Vale Vir Clariſſime: amicos à me ſaluta omnes, Bacchovium, Berſmannum, Cluſium, Iſenbergium, Reineccium etiam atque Caſſelium, ſi ad eos ſcripſeris. Conjugem etiam tuam nepteſque ſaluto amanter. Carnuto 9. Novembris ſt.n. 1593.

LXXVI.

SCripſi ad te Carnuto & hinc nuperrimè, copioſè. Et his te ſalutare magis atq; amicos, quàm docere animus eſt. Ad illa enim quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

quid addam nihil habeo. Et incerta ſunt omnia. Urbium aliquot præfecti, cum Rege deditione paciſcuntur. Sed eas proponunt conditiones plerique, ut conſtituere Rex ipſe vix poſſit, quid faciendum ſit. De Pace agitur, nihil tranſigitur: & Rex parare ſe ad bellum videtur. Aliquot tamen Tranſligeranæ provinciæ inducias prorogarunt ad ſex menſes, alii ad annum, ſub ea conditione, ſi Regi probabitur. Omnino bellum denuò ſubire, haud bellum erit: & vix adduci plebs poterit. Sed hoſtium artes miræ ſunt. Itaque nihil pronuncio: Niſi quod omnia tuta timeo. Nos hinc Mantam, ad Sequanam proficiſcimur. quo loco & Principes ſecretioris conſilii Rex vocavit & jamdiu eſt quod Legati noſtrarum Eccleſiarum, Regem exſpectant: de quorum conventu ſcri-
pſi

pſi jam ad te. Vale Vir Clariſſ. & ſaluta à me Magniff. Dnn. Baumgartnerum, Nutzelium, Firerum, Geiderum, alios, Clariſſ. etiam D. Philippum. Diepâ 15. Novembris ſt. n. 1593.

LXXVII.

NIhil mihi jucundius, quàm hoc tanto terrarum intervallo colloqui tecum. Scribo itaque frequentius. Et de ſtatu omni rerum noſtrarum Regiſque, prolixè ſuperioribus aliquot meis diſſerui, quas & amicis iſtic noſtris, & Dom. à Waldenfels, ſi occurrerit, communicatas cupio. Hodie, etſi quid ſcribam non habeo, ſcribere tamen lubet. Hæremus tenaci certè in luto. Perfidiâ & audaciâ circumvenimur. Optimi cujuſque integritas auro iſto Hiſpanico inficitur. Et quis ad iſtos aureos ictus non concidat?

Acce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Accedit morum corruptela, ſanè horrenda. Sed quid de bellis civilibus aliud exſpectes? Illa contemptum Dei hominumque pariunt, & Lupinos animos generant. Sed inter corruptiſſimos homines, quoſdam notare licet, tamquam inter craſſas tenebras, lucida ſydera. Animos ſupra hæc humana erectos, Deo proximos. Et ſubit aliquando reputare quæ alias apud gentes vidi. Ubique vitia, ubique ſcelera: ſed virtutes ſanè non ubique. Sed hæc tractabimus aliâs. Mantam, quod eſt oppidum Rothomagum inter & Lutetiam, ad Sequanam, cras Rex cogitat: eò vocati omnes qui ab arcanis: & jam aliquot dies iſtic ſunt Eccleſiarum noſtrarum Legati, quos conveniſſe Regis juſſu ad te ſcripſi: ut libertati eorum & ſecuritati de communi ſententia conſulatur. Quo cuncta

eva-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

evaſura ſint, videbimus brevi. Interim parantur utrinque arma, ad ſpeciem aut ſeriò. Mihi ſolemne τὸ ἀπιστεῖν: velim & bonis omnibus. Vale Vir Clariſſ. & nos ama atque precibus tuis adjuva. Saluta verbis meis Magniff. Dom. Baumgartnerum, Nutzelium, Firerum, Geiderum, D. Philippum & filios tuos. Diepâ 27. Novembris ſt. n. 1593.

LXXVIII.

TUas reddidit mihi Dn. Calandrinus. Ita variis ſcriptionibus obruor, ut ſalutare amicos vix liceat. Quid illi, quos eſſe plurimos dicis, in Regio edicto & litteris Legati Veneti reprehendant, non ſatis video. Omnino quoniam Pontificium ſe Rex profeſſus eſt, uti Pontificium ſcribere & loqui decet. Sed erit mihi tecum hac de re ſermo aliâs,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

cùm plus otii habuero. Fluunt nobis omnia ex ſententia apud nos: quæ diuturna ut ſint, Deum oro. Mihi ſuſpecta ſunt multa, & multa timeo quæ premo apud me. Atque utinam Principes haberemus aliquot & Principum conſiliarios qui ad Regis eſſent ingenium facti. Rothomagum, Ambianum, Abbatisvillam in Regis poteſtate eſſe affirmant Antverpienſes. Bruſſellis advenit Dux de Feria. Regem laudibus in cœlum fert. Sed quid audio? Cicalæ fratrem hominem Calabrum, profectum Conſtantinopolim, miſſu Hiſpani, non nolente Cæſare, ut de pace per fratrem agat! Hoccine eſt uti victoria? & à Deo datam occaſionẽ amplecti? Componere iſtic Hiſpanus bellum vult, ut vires omnes Auſtriacas in Belgium & Galliam transferat. Audio, & Breſlâ

huc

huc ſcriptum legi, 40 primum, inde 24 currus onuſtos armis ex Dreſdenſi armamẽtario, in Hungariam avectos. Siccine & pupilli illi ſpoliantur? & Euangelici Principes armis exuuntur? Audi & tertium: grave illud & tertium: ſed quod tantum à rumore habemus. Mauricium Comitem ajunt ſclopeto petitum Hagæ, ſed non læſum. Meminiſtin' quoſdam qui in Comitatu erant Erneſti, dicere certas ſe rationes habere pacem Belgio conciliandi, & Angliam etiam Hiſpano reconciliandi? Nimirum, quæ rationes illæ ſint vides. Veneno petita Angliæ Regina: Sclopeto petitus Mauricius. Egregias ſanè & verè Chriſtianas rationes! Et jam ad Hiſpanica conſilia Chriſtiani Principes cæcutiũt? Sed hæc mitto: & ad Muſas me converto. Paſſeratii, cujus à te
ſcripta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſcripta amari cognovi, Pavum, ad te mitto, fortè repertum inter chartas meas aliud agenti: Theologicum parentis tui, viri incomparabilis, libellum tibi commendo unice: publicum velis eſſe, quod publicè magno uſui eſſe poteſt. Vale Vir Clariſſ. & ſaluta à me amicos iſtic omnes, Illuſt. Comitem Ortenburgium, Virum quâvis Imperatoriâ & Regiâ aulâ dignum, Ampliſſimos Dn. Baumgart. Nutz. Firerum, Geuderum & Clariſſ. D. Philippum. Franc. Kal. Martii. 1594.

LXXIX.

ET te & una tecum affabor amicos iſtic omnes tribus verbis. Huc adveni ſalvus, Dei gratiâ, etſi dubia valde ſunt itinera. Rex Lutetiæ fuit ad multos dies. Urbes præter illas de quibus audiviſtis, deditionem nuper fecerunt, Troia,

Troia, Antiſſiodorum (Auxene) Banſur Aube, Noviodunum &c. & Remenſes & alii deditionem cogitant. Briſſacum & alios proceres, & Pariſienſem Senatum, qui in Conjuratione fuerant, audiſti ſolemniter rebellionẽ faſſos, petitam gratiam impetraſſe. Mænium ajunt cum Rege colludere: Guiſius obſtinatior eſt: & diſceſſit Barro ſubiratus, quod retrahere ad Bellum Lotharingiæ Ducem non poſſet. Profeſſus eſt ipſe Lotharingus, uti ajunt, ſatis ſe ſuperque deſipuiſſe: ſapere in poſterum & ſibi ſubditiſque conſulere, conſtituiſſe: ſuadere idem ipſi Guiſio, ut pacem à Rege & delictis veniam peteret. Sed Regis vitam à Dominicano uno, Capuccinis duobus, & quodam alio homine, vietore, ni fallor, petitam ajunt, fruſtra: illos verò captivos teneri. Et inſidias iſtas

quis

quis vitet? Noſtrum eſt, Deum votis pecibuſque aggredi, ut Reipub. labantis miſereatur, quam ſanè niſi ille Deus teneat, facilè conjurati hoſtes evertant. Illi fidamus, & ſuſpectum nobis ſit ſerenum hoc. Tu vero vale cum Ampliſſ. Dnn. Baumgart. Nutzelio, Firero, Geidero, Clariſſ. fratre & filio, & Dn. Calandrino. Metis. 9. Apr. 1594.

LXXX.

ADjunctas chartas amice mihi communicatas abs te, percurri levius quàm argumenti gravitas & auctoris ipſius dignitas merebatur. Tribues temporis anguſtiæ, & vino Calandriniano. Quædam talia ſunt quæ colligi accuratius deceat. Sed in pagellas incidi quaſdam, Deus bone, quàm bonas! Magno eas ſtudio legi, relegi: & eas tibi complicatas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

catas notavi. Sunt tamen nonnulla quæ aſſequi properante lectione & fortè illo vino fallentibus oculis, non potui. Ita tamen judico: Intereſſe omnino, tanti viri, tantis de rebus exſtare judicium. Sed hoc erit accuratioris operæ. Illa verò de qua egi hodie tecum Commentatio, premi hoc ipſo tempore nullo modo debet. Et premi niſi cum damno publico non poteſt. Nihil ego iſto in argumento legi doctius, elegantius, modeſtius. Tu, ſi quid ne amas, imò ſi Eccleſiam Domini amas, editionem propera. Et fremat turba illa verè turbulenta Eccleſiaſtici (ſi qui inter illos ordo eſt) ordinis. Me, poſt fluctus illos & tempeſtates Theologorum, uti ſe prædicant, hominum, in Philologi & Muſæi hominis placido Chriſtianoque conquieſcere ſinu juvat. Vale Vir Clariſſime

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

riſſime, & incomparabilis viri incomparabile illud ſcriptum, me auctore atque impulſore emitte manu.

LXXXI.

EXcuſavi prioribus meis litterarum brevitatẽ & benè longas promittebam: quod præſtare vix hodie poſſum: ita domeſticis alieniſque negotiis obruor. Rex Laudunum (nos Laon dicimus) obſidet. Oppidum eſt Picardiæ, & loci natura, & arte benè munitum, & inſtructum milite. Habet Rex ipſe in exercitu ad 20 hominum millia. Capellam amiſimus Rege propter invaletudinem abſente. Oppidulum munitum ſatis. Ex eo ad pugnam hoſtem attrahere Rex fruſtra conatus eſt: inde obſidio illa cœpta. Sed remotarum urbium deditiones quotidie fiunt, conditionibus, ut verum fatear, ſanè iniquis.

Habet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Habet hujus conſilii cauſas Rex ipſe maximas, de quibus aliâs pluribus. Hîc in ejiciendis Jeſuitis laboramus. Academia, Urbs ipſa & Parochi Eccleſiarum, in illas peſtes conjurarunt. Proximis diebus in Senatu cauſa diſputabitur, libellos vobis nondum viſos mittam per mercatores, ſi qui hinc ad veſtrates nundinas Francofurtenſes proficiſcentur. Interim perge nos noſtraque amare Vir Clariſſ. & me Ampliſſ. Baumgartn. Nutzelio, Firero, Geidero & Clariſſ. Dn. D. Philippo & filio commenda, quibus omnibus officioſam ſalutem dico. Raptim Lutetiâ. 26. Maii. 1594.

LXXXII.

TErnas ad te dedi ex quo Lutetiã primùm advenio. à vobis vero ne jota quidem. Laudunenſem civitatem Rex obſedit, dehor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

dehortantibus omnibus belli peritis: & cœptam obſidionem conſtanter proſequutus eſt, cum ſolvenda pleriſque videretur. Civitas eſt monti impoſita, difficili undique acceſſu, & manu ſatis munita. Hoſtis externas copias repulit, & poſtquam cuniculis actis & directis tormentis, vi capi poſſe, ſine ullo dubio vidit, conceſſit tamen XII dierum inducias, quibus exactis, ſi aut nullum aut minus 1000 militum auxilium acciperent, deditionem facerent. Ita & Hiſpani Mæniique infirma auxilia eſſe patefecit, & ſolitæ clementiæ ſuæ locum dedit, cum urbem militari licentia liberaret. Itaque exceſſit hoſtis 2. Aug. ſt.n. cum 600 militibus duce Carolo Emanuele, & Mænii F. & Duburgio præfecto, altero poſt die civitatem nos ingreſſi ſumus. Hinc Rex Cameracum iter habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

bet. Ambianenſes Mænium urbe pepulerunt, qui inde in Belgium ad Erneſtum profectus eſt. Bellovacenſes Hiſpanicum præſidium ejecerunt. Cum Guiſio de pace agitur. Compoſito hoc limite, Rex Lutetiam, inde Lugdunum cogitat. Vale Vir Clariſſ. & me ama. Salutẽ dico officioſam Ampliſſ. Dnn. Baumgartn. Nutz. Firero, Geidero, & Clariſſimo D. Philippo, nec non Illuſtri Dom. Comiti. Lauduno 6. Aug. 1574.

LXXXIII.

NEc me teneo, Vir Clariſſ. etſi negotia urgent alia, quin pro incomparabilis viri parentis tui libello de precibus, gratias agam humanitati tuæ. Libellum non viſum antea, non lectum, vidi, legi, & (verum dico) intra paucas horas relegi. Utinam ad illius hominis ingenium vel unum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

hodiè haberemus: Ego me illius in ſcholam darem, aulâ & republicâ relictâ. Et verò, rempublicam quid dico? Ubi illa eſt? Suam rem quiſque agit reipſa: Publica in ore eſt omnibus; cordi, nemini. Sed ille tuus, (liceat mihi & meum dicere) quàm modeſtè, quàm amicè, quàm leniter vitia tangit, & errores ſuperſtitioſos tractat? quàm verè, quàm ſeverè, quam doctè veritatem adſtruit? Non tibi abblandiens dico. Sed verò dico & ex animi ſententia juratus dico. Unus ille mihi inter tam multos Theologos non Theologus, Theologus eſt: Verè amicus Philippi illius, qui (Bucerũ addo) unus mihi penè inter Theologos Theologus eſt. Chartulas verò tu omnes, vel minimas, magni illius viri, (à quo nihil niſi magnum) compone: & da lucem videre: præcipuè ſi quæ
ſunt

ſunt Theologicæ: in quibus mihi, vir ille magnus, ſanè maximus eſt. Sed tot ego te verbis compellatum nolui. Exciderunt. Non poſſum quin & tibi gratias agam ob miſerum, bonum tamen, ſenem Brocardum tam benignè, & liberaliter habitum. Utinam & tuis à me accidere grati aliquid poſſit. Rependam ego lubens debens. Et rependet ille ex alto, ceſſantibus omnibus. Uno verbo, te & amicos iſtic omnes, Illuſt. Dn. Comitem, Ampl. Dn. Nutzelium, Geiderum, Clariſſ. Dn. D. Philippum fratrem & Dn. filium ſaluto. Vale. Raptim. Onoltsbachio. 16. Nov. ſt. n. 1594.

LXXXIV.

ETſi nihil habeo ex Gallia ſcriptione dignum, idipſum tamen ſcribere ad te volui, ne tui

me immemorem judicares. Quid moverit Durlachienſis, jam, arbitror, cognoviſtis. Omnino grave erat hiſce Principibus & civitati huic, Fuckarum in ſinum ſuum recipere. Sed Imperator quid ad iſta? Rumor hîc de vicini veſtri obitu. Nolim. Amicus ille certe nobis, & valde amicus. Tu ſiquid habes, imperti, Pragenſia maxime & Hungarica &c. & quicquid ad Remp. Reperi inter chartas meas Epigramma, quod etſi dubito an tibi futurum ſit novum, adſcribam tamen.

De Hiſpano pullorum implumium voratore.

Quod nondum calido pullus cùm excluſus ab ovo eſt,
Hunc avido implumem protinus ore voras:
Hiſpane, haud mirum eſt. Pullum vis edere: Nam, ſi
Creverit, is ſubito Gallus & hoſtis erit.

Salu-

Salutem Illuſtri Domino Comiti, Ampliſſ. Dominis Baumgart. Nutzelio, Geidero, D. Philippo fratri & filio. Vale V. CL. Argentorato 4. Dec. ſt. n. 1594.

LXXXV.

TUas accepi & ea quæ addidiſti de Tartaris. Verè tu: Mira impendent magnaque. Sed nobis à Deo certa omnia. De parentis tui ſcriptis, viri longè maximi, ſcripſi ad te ex animi mei ſententia: & prognoſticon hoc mihi eſt intereuntium litterarum, quòd illa negliguntur ſcripta doctè, accuratè, piè. At quæ eduntur hodiè, qualia illa ſunt? Sanè nec lectu digna. Vertuntur omnia publicè privatimque. Sed faciunt mihi magnam injuriam ii qui me pro incendiario habent apud vos. Pacem veni tractare, Regis miſſu juſſuque. Ego verò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

(quid enim negem?) juſtum & rectè ritéque adminiſtratum bellum, pacis iſtis actionibus omnibus facilè præpoſuerim. Et ſcio, abſque armis nullam haberi certam pacem poſſe. Sed de pace aliâs. Rex in Picardia fuit, limiti confirmando. Hodie Lutetiæ arbitror eſſe. Et bellum ſollemni & veteri ritu Erneſto indictum iri ſpero. Audis? ſpero inquam. Namque inter iſtos & cum iſtis, bellum præ pace eſt. Sed, ut & me pacificum putes, in Britannia cum Mercolio pacem ſperamus, cum quo jam induciæ. Repetam quæ tibi fortè jam nota, Crozon, oppidum an caſtrum? eſt ad mare aut potius in mari Britannico, ſaxo impoſitum ad quod terrâ acceſſus eſt anguſtus: locus, ut intelligis, naturâ munitus. Eum Hiſpani, decem menſes integros tenebant, & mirè contra vim

omnem

omnem inſtruxerant, pulſis incolis omnibus. Hiſpanicam coloniam effecerant. Id obſedit Aumontius, & actis cuniculis muri parte etiam tormentis proſtrata, noſtris hinc, Anglis iſtinc oppugnantibus, poſtquam ad aliquot horas cominus pugnatum fuit, vi cepit. Pauci inter noſtros deſiderati. Hiſpani ſexcenti, præſidiarii, ſelectiſſimus miles, cæſi ad unum. Factum id XVII. Nov. ſt. n. Ad obſidionis famam adventabat Joannes de la Cula, ſummus Hiſpanorum præfectus. Is ad capti oppidi famam, ut ajunt, à ruſtica multitudine, 20. m. hominum, circumſeſſus eſt, itinere ab illo oppido unius diei: & inde adveniente Aumontio captum, capta Hiſpanica tormenta ſex, cæſum fugatumq; militem Hiſpanum ferunt. Nota tu, quæſo, cum ajunt, aut ferunt, aut ſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

mile quid adſcribo, dubia illa mihi eſſe: cætera certa. Ex eo, pacē ut dixi in Britannia ſpero: & miſſus ad eam rem Mornæus Pleſſiacus noſter. Guiſius, ut ſcis, jam noſter eſt: ſi noſtri illi eſſe poſſunt qui. Sed me teneo. Mænius per Senecæum Baronem etiam reconciliari cupit. De Argentoratenſi negotio quod indicas, ſcis in Badenſem Marchionatum converſum. Et de toto hoc negotio quid exiſtimem, ſcribere non eſt hujus loci nec temporis. Alia ſunt noſtra veſtraque quæ ſcribam tamen, ſi propius ad vos acceſſero. Addam, Noſtras res, eorum, inquam, qui Religionem reformatam profitemur, bono loco eſſe, Regis gratiâ & virtute. Tu vero vale, & Ampliſſ. Dominos Baumg. Nutzel. Geiderum, fratrem filiumq; ſaluta à me, ſed & Illuſtr. Dn. Comitem ſcire

velim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

velim me Generoſitati ipſius eſſe addictiſſimum. Metis XXVII. Decemb. ſt. n. 1594.

LXXXVI.

TUas accepi cum adjuncto librorum præſtantiſſimi viri parentis tui catalogo, pro quo ſummas habeo gratias. Sed de hoc aliâs. Litteras ad te mitto, Riverii noſtri, archiatri. Is ſiquid habes de Venenorum præſervativis & remediis rari & excellentis, communicari ſibi à te cupit. Cupit etiam cognoſcere, quid vobis ſit Oſtrutium, quid Cruciata minor: & an pulveris Saxonici illius quem Fabels-pulver vocant, haberi aliquid poſſit. Omne ejus hodiè ſtudium in iis eſt quibus præcaveri, aut ſi opus ſit, remedium Veneficiis afferri poſſit. Piam ejus operam, quæſo, juva. Conſilium de filio cum Dn.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Harlæo mittendo, non improbo: de quo ipſo etiam aliâs. Rectè verè tu judicas. Magna impendêre mala. Et mala quidem ante oculos ſunt: remedia nulla apparent. Turca nobis terrori eſt meritò. Nos de Turca cogitare Hiſpanus non ſinit. Et quæ malum! illa eſt inimicitias exercendi ratio? Poſtquam vi virtuteque non ſucceſſit, ad damnatas artes confugere? & in Biturigum capita, per veneficia & ſicarios graſſari? Audi me, Vir prudentiſſime: ſcelerum iſtorum auctorem Deus graviter puniet. Mitto ad te Paſſeratii oratiunculam, ut me tibi excuſem, quod de rerum noſtrarum ſtatu nihil ſcribo. Non vacat, premor & opprimor ſcriptionibus moleſtiſſimis. Tu tamen aliquid à Calandrino pete: & Hungarica, Polonica, Tranſſylvanica, Suecica, Bohemica,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

repende. Pro tantillo, tam multa qui petam, impudens ſum. Sed tu ſalve & niſi moleſtum eſt, Illuſtrem Dominum Comitem, Ampliſſ. Dnn. Baumgartnerum, Nutzelium, Geiderum, fratrem filiumque ſaluta à me. Raptim, Argentorato XI. Martii, ſt. n. 1565. Cupio à te cognoſcere Modius an vivat & ubi vivat.

LXXXVII.

ET priores tuas accepi, quibus gratiſſimum munus addideras Onoſandrum: & has ſcriptas 10. Martii, quo die Moltzhemii fuit Hiſpanus quidam (Peſtranæ Ducem ajunt) iter in Belgium faciens. Sequebantur eum muli XV. onuſti: & Lotharingi comitatum addiderant armatum, qui tutò deduceret. Sed periculum ei ego ſummum arbitror à Bullionenſibus ſi olfecerint: &

ſaga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſagaces ſunt. De Reip. Chriſtianæ ſtatu conquereris meritiſſimò. Sus deque feruntur omnia, ut iratum Deum facilè agnoſcas: & hoc meritiſſimò. Quid enim in nobis, aut Chriſto, aut Chriſtiano dignum nomine? Nihil ſani in nobis à vertice ad calcem. Et Principes & privati, & Sacerdotes procul omnes ab officio abierunt. Danda manus eſt: & Deo cuncta permittenda: cujus æterna eſt atque immenſa miſericordia. De inundationibus illis portentoſis, idem & mihi quod tibi venit in mentem. Veſtri, ut ais ipſe, conventibus & tempus & pecuniam ludunt mirificè. Sed nunquamne iſtarum conſultationum finis erit? Dicam quod ſentio. Homines dicendi & ſcribendi periti, agendi imperiti, apud vos clavum tenent. Probo: Exercent ii quam norunt artem:

ſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſcribunt & declamitant copioſè: ſcribent & declamitabunt æternùm, niſi aut ipſimet Principes expergiſcantur, aut linguam manumque ſive Turca, ſive quis alius promptior hoſtis amputaverit. Ego verò & ipſe optem in Turcam omnes inſurgere: nec per nos ſtat: Sed nobis ſanè contra Hiſpanicam perfidiam caput noſtrum tuendum eſt: Perfidiam, quam nulla unquam gens barbara æquavit. Audis, vides, quid tentent, quibus graſſentur artibus, ipſis, ut ego exiſtimo, Turcis, execrandis. Et de induciis atque etiam pace tractari inter Regem & Hiſpanum, quod innuis, ſunt qui dicant. Pacem ego præ cæteris omnibus opto, bello ineptus. Sed quodvis bellum, Hiſpanicæ paci præponendum judico: & Hiſpanum hoſtem apertum malo quàm opertum.

Cæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Cæterum quæ addis de nuptiis, & aliis, feruntur illa vulgi rumoribus, mihi non credita. Rectè judicas: mutationes magnæ, confuſiones ingentes imminent, inter quas ſervabit Deus ſuos, ut in arca familiam Noæ. Votorum meorum ſumma eſt, ut in familia illa eſſe nos poſſimus. Dominum Saurium exſpectamus, ſed diu ille à Rege abeſſe non poteſt, & vix poteſt. Pro Gentilis Carmine elegantiſſimo, gratiſſimas gratias habeo, & ei ſalutem addo. Paſſeratii Oratiunculã indidi faſculo: ea quid factum ſit, divinare non poſſum: niſi fortè, feſtinans, alienis litteris addidi: Eadem enim horâ, plures hinc inde tabellarios ablegabã. Vale V.CL. & me ama. Salutem officioſam Illuſtri Domino Comiti, Ampliſſimo Domino Baumgartnero, Nutzelio, D.Philippo & filio tuo

à me plurimam. Argentorato xxII. Mart. 1595.

LXXXVIII.

SOllemne mihi inquies, infeſtinationem tabellarii deſidiæ prætendere. Et certè ſcriptionibus ita obruor, ut amicis pæne nihil reſervare præter memoriam officii & animum poſſim. Significabo tamen tribus his verbis tibi, Auſſonam, Burgundiæ urbem inunitam & commodam, in Regis poteſtatem veniſſe, Barone de Senecay qui eam tenebat, ſe ſe Regi permittente. Mercolium ab Aradano quodam Venetenſi (urbem vocamus Vanes) præfecto, quem præfecturâ exuere volebat, ſclopeto ictum eſſe: non periclitari tamen, ſed Aradanus & ſe & urbem, in ora Britanniæ noſtræ præcipuam, Regi dedidit. Francofurto pluribus ad

te,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

te, quâ viâ mitto etiam Palmarii libellum de Vino & Pomaceo, ante annos editum, ſed fortaſſe non viſum tibi: Vale & amicos omnes ſaluta à me officioſe. Argentorato XV. Apr. ſt. n. 1595.

LXXXIX.

AD Dominum Calandrinum ſcribo quidquid habeo novi: & iterum Regem periclitatum eſſe cognoſces de eo. Idem de Regina Angliæ, de Mauricio Principe referunt. O tempora! Et tu convenire cum iſtis pacem poſſe putas? Ego nullus puto. Sed tu quid ad hoc dices, quod etiam hodiè è Principibus veſtris, iis qui Religionem profitentur, quidam præcipui, iſti monſtro colla pænè ſubjiciunt: ei officia, obſequia, opes operamque deferunt? Verùm narro: & tibi non arbitror inauditum. Si tamen novum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

vum eſt tibi, innue: mittam, quo rem omnem recognoſcas. Brevis ſum, quòd aliis ſcriptionibus urgear. Vale & Illuſtri Dn. Comiti, Ampliſſ. Dom. Baumg. & Nutz. & Geidero, ſalutem. Raptim, Argentorato 12. Apr. ſt.n. 1595.

XC.

DUdum eſt quod nullas à te habeo. Et hinc Francofurto & Onoltsbachio ad te aliquoties ſcripſi breviter. Sed & nunc breviter: ſed aſſue litteris meis nova quæ ad Dn. Calandrinum mitto, jam longior erit epiſtola. De Burgundicis nihil omnino certi habeo. Auxilium incolis advenit, ſed id validum nec ne, mihi non conſtat: & pręeſſe Nemurſium, alii Sanſorlinum, alii Caſtiliæ Coneſtabilem ajunt; & Tremblecurcium obſideri in oppido Veſou. Ego, ne expeditio illa temerè, ſcio, ſuſcepta, & præcipitanter

nimis

nimis incepta, infeliciter ſuccedat malè metuo. De Regis morbo cognoſces ex charta quam tibi Dn. Calandrinus aut reddet aut mittet. Ego ad iſtos rumuſculos inhorreſco totus: ita de nobis cum ejus vita planè actum videtur. Sed immortalis Ille eſt, cui de nobis immortalis cura. Palmarii librum de Vino & Pomaceo accipies & ab ipſo Dom. Calandrino. Paſſeratii carmina conquirere animus erat, ſed editurum ſe brevi, ipſemet recepit. Moroſophiam quam petebas, Lutetiæ nullam inveni; illam, inquam ſcriptam pictamque: Nam veram & ſolidam Moroſophiam nimis frequenter vidi: & quocunque me verto, video. Sed illa Lugduni dicitur edita olim. Libellus quem ad Grynæum miſeras, an editus ſit, audire cupio. Hotomanus te ſalutat: libellum illum
non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

non accepit. Car. Harlæus Baſileam advenit. Vale Vir. Clariſſ. & Illuſt. Dn. Comitem, Ampliſſimos Dominos Baumgart. Nutz. Geiderum, Clariſſimos viros fratrem & filium ſaluta. Argent. 23. Apr. ſt. n.

XCI.

POſtremæ tuæ ſcriptæ ſunt 12 Apr. Dicam ſine fuco: nihil mihi gratius litteris tuis, in quibus ſemper aliquid quod me inſtruat adverſus hos caſus, aliquid etiam de publicis rebus non pervulgatum. Peterem frequentiores, ſi per occupationes tuas liceret, & ſi ego mererer. Sed tu ſcribe cum vacabit: ego lubens provocabo. Militis in Burgundia ſævitiam accuſas merito: ſed tum quidem, nondum planè noſtri. Burgundiam illi ingreſſi ſunt Rege non dicam ignorante, certe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

non probante conſilia eorum. Et erant alteri Domino ſacramento devincti: ſed patrocinium eorum pænè perditorum Rex ſuſcepit. Tremblecurtius Hiſpanos in Veſolii obſidione adhuc tenet, crebris eruptionibus eos atterens, & lepidum eſt quod reſpondit Coneſtabili Caſtiliæ ad deditionem vocanti, Excedere ſe arce paratum, ſi ille & machinas ſibi bellicas omnes & Comitatum Burgundiæ concederet. Hodie nuntiatur à Lupio ſolo defendi arcem, cum Tremblecurtius ad auxilium accelerandum profectus ſit: abundare obſeſſos rebus neceſſariis, vino & farina, ſed aquæ penuriam pati. Et ut auxilia in promptu ſint, vereor. Marchio noſter Durlacenſis egregias copias habet, quales vix vidit Germania, & equites noſtrates ducentos ei conduxit Rheingravius

Phi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Philippus. Quid cogitet, obſcurum eſt: nam motus Eduardi omnes obſervare, non eſt tanti. Et aperto Marte Eduardus non certabit: Præfectus arcis Dormerſhem, non procul Raſtadio, conductum ſe ab Eduardo ad Durlacenſem interficiendum faſſus eſt, mille coronatis, & certo quoad viveret, victu. Is heri, ut arbitror, pœnas ſceleris dedit. Turbas Scoticas explicavi, ni fallor, poſtremis meis: & Gallica varia ex charta quam ad Calandrinum mitto, cognoſces. Ex libello de precibus viri incomparabilis parentis tui, quem à te dono habeo, librarius cui compingendum dederam, folium integrum incuria perdidit, notatum littera C. ita ut mihi deſint omnia à pagina 32. ad 49. Si exemplar ad manum habes, quæſo cura exſcribi. Heri quoque ad te ſcripſi,

litte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

litteras miſi Onoltsbachium per Tabellarium quem data opera mittebam ad Illuſtriſſ. Marchionem. Hoc te ſcire volui. Heri ſub noctem D. Lobbetius ſignificavit mihi adfuiſſe ſibi ex Herdeſiani filiis unum; ſubiratus me ab eo præteritum, miſi ad eum in hoſpitium ſummo mane, hominem ad me invitatum: ſed ille jam diſceſſerat. Vidiſſem libenter, cum ſciam in cura eum eſſe D. D. Philippi fratris tui. Nova diſces ex adjunctis chartulis: & delibavi quædã heſternis illis meis. Vale Vir Clariſſ. & amicos iſtic omnes ſaluta. Si quid ad me vis, & ut velis, valde peto, mitte Francofurtum ad Malapertium, aut Weſtelianos. Argentinâ 21. Maii ſt. n. 1595.

XCII.

XCII.

TUas ſcriptas 30. Aprilis hodie accepi. Pro orationibus habeo ſummas gratias, de Burgundicis ſcripſi ad te ante dies paucos, & litteras Francofurtum miſi, quâ viâ ſingulis ſeptimanis exſpectare à me litteras jubeo, niſi quid fortè inciderit gravioris. Regem arbitror hodie eſſe Trojæ, quæ eſt urbs præcipua Campaniæ noſtræ: inde ipſe in Burgundiam, Dñus de Saury hinc. Et in Burgundiæ Comitatu, oppidum cui nomen Chaſteau Chalons occupavit Bironius: Auguſtodunum, quod eſt in Ducatu, ita premit ut ad Regem ſcripſerit, ſperare ſe ejus potiturum antequàm litteræ redderentur Regi. San-Porcinum, urbs quam in finibus Arverniæ forti præſidio Nemurſius tenebat, arbitror jam

in

in poteſtate noſtra eſſe, operâ Coneſtabilis. Certis ſe conditionibus dediderunt, quas Rex probavit. Omnino, ut ſentis, magnæ & ingentes mutationes incumbunt Reip. quas à cervicibus ſuorum benignus Deus avertat. De litteris ad Grynæum, accipio quod offers: & librum, luce publica digniſſimum curabo edi. Velim etiam alteras ad illum cui liber mittendus Hottomano commiſſus fuit. Lutetiæ jacet Juriſprudentia: & ſtudia necdum ſe seriò commovent: nec efferre caput inter tot nubila poſſunt. Sed dum hæc æſtas abit, videbimus: & quid mihi videatur ſcribã ingenuè. Velim & opera mea juvare filii tui ſtudia poſſim. Libellum ad te mitto A. Thuani Emerii poëticum, cujus ut arbitror lectio tibi erit non ingrata. Vale. Raptim, Argent. 26. Maii ſt. n. 1595.

XCIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

XCIII.

LItteras tuas mihi reddidit tabellarius veſter hinc iter habens Dachſtenium. Francofurtum miſi litteras quas ad te ſcripſi ante dies quatuordecim & ſeptem: miſi etiam ante octiduum litteras ad Waldefelſium, quas porrò curaret tibi reddendas cum libello quodam. Quæ de Veſolio reddito habebam, ea ad te miſi totidem ſcripta verbis quibus erant ad me perlata. Qui ſitum loci norunt, ii cum ſumma admiratione audiunt, tamdiu à Tremblecurtio tueri potuiſſe locum nec opere munitũ valde nec natura, & inaquoſum. Quid porrò factum ſit, confirmare non poſſum. Rumores enim ipſo rumore referente accipies. Sed è cætera Gallia quæ habeo, ea leges cum Calandrino noſtro, hiſce adjun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ꝺta. Rheingravius Philippus cujus ſororem Durlacenſis frater uxorem habet, cùm nudius tertius huc adveniſſet, cum equitibus circiter 120. heri ſub veſperam pernoctatum abiit in Beimem, quod eſt oppidum Badenſe cis Rhenum, hinc ſex milliaribus diſtans: juſſus ibi Durlacenſis Marchionis operiri mandata. Adventant & copiæ Eduardi, quas ajunt eſſe ut plurimum trium millium. Conſtat Vannes & Chaſteaubrehan Lotharingos pecuniam ab Eduardo, cogendo militi accepiſſe. Apparatus hi quo tandem evadant expecto: ipſa conſilia inveſtigare cogitando non poſſum: ſed, fallor aut nihil ſubeſt ſolidi. interim vereor ut hæc urbs & hæc vicinia ſtultitiæ alienæ pœnas ferant. Hiſpanus, cùm iter ad Regem Bullonius vocatus eſſet ingreſſus, arcem
Cha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Chavancy, ab ipſo Bullionio ante paucos menſes occupatam, repentè oppreſſit, & oppidum la Fertè aggreſſus eſt: Pedem Bullonius retulit, & cum exiguis ſanè copiis hoſtem petiit, & caſtra ad oppidum poſuit: & dum Cameraco & è Picardia atque Campania auxilia expectat, levioribus prœliis hoſtem atterit. Sed invalidum oppidum diu teneri non poteſt, & ſi in tempore auxilia advenerint, Bullonius prœlium cogitat. Sin illa venerint tardius, ſperat arcis illius & hujus oppidi jacturâ hoſtilem impetum fractum iri. Sperabat hoſtis, illis nullo negotio & ſine ſanguine occupatis, ut erant à Bullionio occupata, Moſonium, oppidum ad Moſam tribus Sedano miliaribus, aggredi. Fruſtra erit, ut ſpero. Tu Hungarica repende. *Si* quid de Polonis, Tranſilvanicis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

& aliis rebus apud vos eſt dignũ lectu, peto ut mittas: Exſcriptionis ſumptum lubens ſolvam. Vale CL. Domine. Illuſtr. Dom. Comitem, Ampliſſ. Dnn. Baumgart. Nutzelium & CLL. VV. D. D. fratrem & filium ſaluto officioſe. Argent. 3 Junii ſt. n. 1595.

XCIV.

NUdiustertius, ut audio, in hanc Rheni ripam venit Durlacenſis, reliqua Eduardi occupare conſtituit. Apud nos, Divionum, (Dijon) Bironius tenet, ſed arcem Męnii miles adhuc tuetur: ad urbem recipiendam cum omnibus copiis properare Coneſtabilem Caſtiliæ ajunt, alii, ad recipiendum fratrem, quem neſcio qua in arce Aſſonvilla obſideat, ducere copias affirmant. Is, frater inquam Coneſtabilis, cum duo millia militum ad fratrem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

trem deduceret, oppreſſus ab Aſſonvilla, in arcem illam ſe recepit, vitæ conſulens. Ita narrant qui ex ipſa Burgundia veniunt. Bullionius quid in Hiſpanos præſtiterit, ex ipſiuſmet narratione cognoſces. Vellem de illa expeditione Burgundica quædam addere pauca, ſed tabellarius veſter litteras poſcit. Addam hoc tamen; Nos Auſſonvillæ & Tremblecurtio plurimum debere, qui molem illam Hiſpanici exercitus, ruinam nobis extremam intentantem, (ita enim prædicabant: actum de Gallia quæ ne adſpectum quidem exercitus iſtius eſſet latura) qui, inquam, molem illam veluti diſruperint: & eam exercitus partem quæ in ipſos ducta eſt, partim fregerint. Multos enim obſidio oppiduli & Caſtelli iſtius quod Tremblecurtius tenuit, hauſit: multi elapſi; & ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

incolis plerique male habiti, ad Hiſpanicum nomen cohorreſcunt. Sed nos monſtrum illud horrendum, importunum, ingens, cui nomen Egeſtas, &c. ita premit ut ne ſpiritum quidem habeamus liberum: & corruptionibus inter noſtros (utinam non & inter veſtros) ita graſſatur Hiſpanus, ut tutum nihil certumque habeamus. Et geſſit ille ſe ſanè fortiter, Temblecurtium dico: & ſi ad paucos dies aqua ſuffeciſſet, actum erat de exercitu Hiſpanico. Sed illi triduum aquâ caruerunt. Ajunt illum diſcedentem cum gratias, ſolito nobis more, egiſſet Coneſtabilis, addidiſſe, Gratum ſe futurum, & brevi paria facturum. Duſſeldorpii quid actum ſit, non ignoras. En quò deveniſtis miſeri! Sed ſervitutis iſtius me pudet. Vale iterum. Valè V. CL. & amicos ſaluta à me.

Ar-

Argentina IX. Junii, ſtilo novo, 1595.

XCV.

QUæ ult. Maii ſcriptæ, redditæ mihi ſunt nono Iunii. refertæ plurimis memorandis. Nullæ aliæ mihi ad res veſtras clarius lumen accendunt. Ita eſt. Quocunque nos convertimus, Hiſpanum offendimus aliquid in perniciem noſtram comparantem. Sed hoc ſanè neque à prudentia noſtra, quæ nulla eſt, neque à viribus noſtris, quæ infirmæ ſunt & exhauſtæ & corruptæ, ſed à Deo eſt, quòd quidquid ille tentat, fruſtra tentat. Et nos in hoc agone, etiamnum reſpiramus & vivimus & ferimus hoſtem, & tamquam de genu, ſuccîſis poplitibus, pugnamus, & vincimus. A Deo inquam, hoc eſt, miſericordi. Nam pietati no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſtræ, quid tribuam? extinctæ tempeſtatibus civilium bellorum. Viciſſim, niſi redimus, magnæ & ultimæ nos pœnæ manent. Sed hominum veſtrorum mihi ſanè inertia ſtomachum movet. Contra Turcam, ut tu ſcribis, lentè proceditur, contra alios nihil tentatur: nos pro ipſis (verè dico) pugnantes, deſtituimur. Nec miror, cùm ſe ipſi deſtituant. Summa eſt: Summa Dei miſericordia, ſuſtentamur omnes, partim ſtulti, partim ignavi, ſed omnes improbi. Effundo in amicum ſinum tuum, quæ me premunt. Cognoſces ex adjuncta narratione verâ, non adeo perditum eſſe Regem noſtrum, ut nulla de eo reliqua ſpes ſit. Virtutis in eo non igniculi ſolum, ſed flammæ vivunt, vigentque. Hoc eò dico, quod nonnulli è præcipuis veſtrorum Principum conſiliariis occulta,
ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſed tamen prodente ſe voluptate afficiantur, cùm adrodere optimi Principis famam poſſunt. Optimi, dico: Nam juratus teſte Deo, dixerim; Meliorem Sol non videt. Quidam etiam convivia in horas protrahunt, narrationibus & fabulis, quibus hoc volunt, perditum eſſe voluptatibus: nec pace nec bello quidquam ab eo ſperandum memorabile. Quoſdam illos nominare poſſim, tibi notos. Et poſtquam ira deſedit, ridere illos lubet, miſeros homines, conviviis aptos & declamationibus; rebus ineptos: qui noſtra videant vitia, rideantque; ſua ſuorumque occulta eſſe putent: & ſunt occultiora, utpote hominum lucem fugientium. Ingratos etiam: qui pro ipſorum ſalute pugnanti periclitantique Regi inſultent. Sed vitia eſſe Regi fateor, & doleo, nimium multa

gra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

graviaque: Sed virtutes è contra plures majoreſque in illo notare licet, cui lubet. Aliorum, quantumvis latitantium, vitia in aperto ſunt: Virtutes poſtquam oculos animumque intendi, nullas video niſi forte apud paucos exiguas valdè & emorientes. Dolens hoc dico, non inſultans, qui ſciam quanto hoc cum malo Rei Chriſtianæ conjunctum ſit, & doleam ſocio Regem meum deſtitui. Sed hæc miſſa facio. Illuſtriſſimos Adminiſtr. Magdeburgenſem & Marchionem Onoltspacenſem & Bipontinum Ducem hîc exſpectamus. De conventu Heidelbergenſi nihil dico: ſpero actum aliquid. Regi conſtitutum fuit, collectis copiis, Caſtiliæ Coneſtabilem perſequi. Sed huic auxilia adducere Nemurſium & Sanſorlinum affirmant, & in Italia nova comparantur. Saurius

ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ita detinetur ut ad diem quem ipſe dixerat adeſſe non potuerit: & quando venturus ſit, omnino dubium eſt. Chaſteaubrehan qui militē Eduardo Marchioni conſcripſerat, pactum in Mænii partes tranſire hodie, fortunam ſecutum, Regi operam ſuam deferre ajunt. Mercorius in Britannia pacem ex animo petere dicitur. Negotium Embdanum periculi mihi plenū eſſe videtur, & ex eo majus oriri incendium poſſe. De Bullionio nihil habeo certi. Libellum parentis tui editum Baſileæ gaudeo, & velim alia omnia publicari: ſed ætas hæc eſt probis illis & candidis ingeniis infeſta. Valde abs te peto ut narrationis adjunctæ & hujus ipſius epiſtolæ exemplum data occaſione mittere ad Peucerum velis, multas ob cauſas, quas ſcribere non attinet. Mihi iſta, alia cogi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

cogitanti exciderunt, indignabundo: & iracundiorem facit catarrhus in dexteram maxillam incumbens cum dolore gravi magis quàm acuto, quo etiam omnia pæne reliqua membra premuntur: ſed illius in pulmones defluxum valde vereor, quo ſpiritus mihi brevior eſt & difficilior. Vale virorum optime & me ama, amicoſque omnes ſaluta officioſe. Argentinâ XXV. Iunii, ſt. n. 1595.

XCVI.

VErboſe nuper ad te: hodie pauciſſimis: & verboſioris epiſtolæ loco erunt adjuncta excerpta, ex amicorum, qui in aula, litteris. Heri diſceſſerunt hinc Brandenburgici Principes ad Wirtenbergicum. Durlacenſis adhuc in armis eſt. Eduardi miles ſe Hiſpano addixit. Negotium

hoc

hoc per abſentiam Domini de Saury, qui de Regis mandato Lugdunum excurrit, hæret. Noſtratia ex illa charta melius quàm ex mea narratione cognoſces. Clariſſime Domine vale, & me ama. Hungarica abs te exſpecto & ejusmodi alia. Riverius reſcripſit, redditas tuas, pro quibus ſummas gratias, quas ipſe tibi dicet proxima occaſione: parùm ſibi in turba aulica otii relinqui conqueritur. Raptim. Argentorato 2. Iulii, 1575.

XCVII.

TUas ſcriptas 20. Iunii heri accepi, & meæ omnes an tibi reddantur dubito, ſcripſi per tabellarios veſtros aliquoties, ſemel per quendam cui nomen Reinhart Otilger, per quem mihi quædam Paſſeratii, & cum veſtri ad manum nõ ſunt, litteras mitto

Fran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Francofurtum. De Hungaricis quòd diligenter ſcribis facis mihi rem ſanè gratiſſimam. Burgundica rumoribus variè agitantur. Mænium ajunt reconciliatũ Regi, & hoc quidem affirmant: addunt præcipuos quoſdam ex Hiſpanicis aſtu quodam cepiſſe, quos retineat, liberando filio quem apud Hiſp. habet. Sed mihi probabile non fit. Nemurſius, quem poſtremis meis dicebam apud Coneſtabilem Caſtiliæ eſſe, non procul Geneva domi ſuæ cui nomen Anneſy, deſidet, æger aut animo aut corpore, qui mihi ſeceſſus ſuſpectus eſt. 3000 hominum conſcripta apud Urbinates, ad Sabaudum iter habent. Artigoty & Freſne, & Chaſteaubrehan qui militem Eduardo Badenſi conſcripſerat, Lotharingi, Hiſpano militant & in Burgundiam ad Caſtilianum militem ducunt.

Viciſ-

Viciſſim Vannes & Sercy, itidem Lotharingi, qui & Eduardo operam ſuam promiſerant, Regi ſe addixerunt. De prœlio futuro apud nos rumor, & properat ad Regem nobilitas noſtra, eâ ſpe, vanâ ut credo. de Regis Colloquio cum Marchione & Lotharingo, nugæ: petiit quidem Lotharingus, ſed Regi nunc ſunt alia quæ tractet. Eduardus in comitatu Spanheimenſi & viciniâ vagatur cum aliquot equitibus. Mihi perſuaſum eſt omnino, igniculum hunc ab Hiſpanis & aliis quibus Germaniæ quies ingrata eſt, materiâ ſubminiſtratâ altum iri. Interim ſumptus graves facere Durlacenſis cogitur, & neſcio an diu ferendos. Fratrem tuum hic ſalutare & complecti aveo. De maximi viri parentis tui libro ſcripſi Baſileam. Ego intra paucos dies ad acidulas proficiſcar, ſuaſu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Medicorum. Perſuaderi mihi paſſus ſum fore eas corpuſculo meo nõ inſalubres. De quo & tuum audire judicium cuperem. Diſtant hinc itinere unius diei, verſus Sylvam nigram quam vocant. Narrationem occupati Han oppidi accipies cum hiſce. Vale Vir Clariſſ. & me tui amantem atque obſervantem ama. 9. Julii. 1595.

XCVIII.

DE rebus Burgundicis præter ea quæ nuper ad vos, nihil habeo certi. Inde colligo neque cum Mænio compoſitum, neque adverſi quicquam nobis accidiſſe. Sed confirmatur in dies exercitus Hiſpanicus & magnas vires ſubmittit Sabaudus, cujus & hic rem agi intelligis, & Cateletium occupaſſe Hiſpanos cognoviſti. Ita nihil purum nobis accidit. Animi nobis ſatis, & virtutis etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

aliquid in iſta publica ignavia: ſed à pecuniâ, qua ille Orbis Chriſtiani Tyrannus pugnat maximè, laboramus. Nobis pro pecunia Rex eſt, quem ego hodie Vbiquitarium velim: ſed ille tot locis laboranti rei noſtræ adeſſe non poteſt, & vides ut deſtituamur undique, tamquam conjuratione quadam: quidam etiam illudunt laboribus noſtris. Lutetiæ Senatus ſententiâ Aumalius abſens damnatus & in tabella propoſitus eſt, diſtractus equis quatuor. Buſſy le Clerc & parochus Divi Coſmæ, rotæ impoſiti, ſed & in tabella, ſeditioſiſſimi ambo, ille Baſtiliam quam vocamus diu tenuerat, & Senatũ in ea diu captivum habuerat. Factum hoc 6. Julii ſtili novi. Hoc volui ut ſcires. Et ſi militi noſtro animus adeſt, Toga ad ſuas injurias ulciſcendum non deeſt. Vale Vir

Cla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Clariſſime & me ama. Argentorato, 17. Julii. 1595.

XCIX.

AD tuas 20. Junii datas reſpondi nudius tertius. In Burgundiam (Comitatum intelligo) Rex ingreſſus oppidũ Champlitte deditione cepit, & conſtituta iſtic re bellica, cui Tremblecurtium præficit, Lugdunum petet, Apud Regem Dominum de Saury, Lugduno reducem, nunc eſſe arbitror. Ex ipſis litteris Regiis, (quod dictum tibi velim,) animadverto, non æquo animo Regem ferre deſtitui ſe penitus externis amicorum auxiliis: & eos qui in partem cauſæ hujus veniunt, otioſos ſe ſpectatores periculorum noſtrorum præbere. Ea, ni fallor, ei cauſa pacem complectendi avidius. Cum Mænio nondum tranſactum. Burgundiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

diam relinqui ſibi poſtulat, ſed ea lege, ut arces omnes, locaque munita omnia in Regis poteſtate ſint. Tantum vult quod tot aliis conceſſum ſit, ne negetur ipſi, ut præfecturam quam 22. annos geſſit, teneat. Putat aliâs læſum iri exiſtimationem ſuam. Suaviter Rex reſpondit, Exiſtimationẽ ejus famamque non eſſe præfecturæ Burgundicæ alligatam, ſed obedientiæ & ſubmiſſioni quam Regi ſuo debeat: nec adempta Burgundia læſum iri, ſed illâ violatâ obedientiâ, & ſocietate cum Regni hoſtibus initâ, læſam eſſe. Rideres unà mecum, ſi ſubitam in aula Lotharingica converſionem videres. Pridie quàm de Mænii ſubmiſſione, de arce Divionenſi dedita, de Regis conſiliis bellum Burgundiæ comitatui inferendi, nuntius adferretur, ſermones & exſultationes etiam, de

na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

navium Indicarum adventu & theſauris immenſis, & totâ provinciâ miles Hiſpano conſcribebatur. Ubi illa innotuerunt tum de Regis virtute diſſerere omnes, & eam verbis ad cœlum ferre, ſe ſervos ejus dicere, parati ſpes illas aureas omnes, noſtrati ſigno militari, (alba faſcia eſt) commutare: & ſtatim in aliquot milites qui Hiſpano nomen dederant, inſolentius more militari ſe gerentes, impetum facere & trucidare: idem reliquis denunciare niſi militiâ exoſâ abſtinerent. Nihilominus multi in Burgundiam ex illo milite ad Hiſpanos tranſierunt. Et in itinere eſt Verdugo, ſed difficilem ei tranſitum fore ſpero. Cateletium in limite Picardiæ Hiſpanici obſident, & ne occupent vereor. Locus eſt magni ſanè momenti, ſed ad tantam vim non ſatis firmus. Et Regi tot

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tot locis occupato, Vbiquitario eſſe non licet. Exercitus noſtri famâ collecti, diu teneri non poſſunt. Precari ſunt. Vulgatiora quędam quæ hîc repetere piget, leges in adjuncta charta. Magniff. Dnn. Baumgart. Nutzelium, Geiderum ſaluta à me, ſi commodum eſt, quibus ego & tibi familiæque tuæ addictiſſimus ſum. Gentilem noſtrum, ſi videris, & ipſum niſi grave eſt, multum ſalutabis meis verbis. Argent. 12. Iulii. 1595.

C.

TUas ſcriptas 7. Iulii, accepi penultima ſt. n. in acidulis, è quibus evocavit me litteris ſuis Dominus de Saury, quibus in Lotharingia ſcriptis ſignificat ſe nobis 2. Auguſti ſt. n. adfuturum. Itaque huc redii feſtinus, ut ſi quid fortè accidiſſet, paratus adeſſem. Pro tuis illis accuratè ſcri-

ptis

ptis ſummas habeo gratias, quales & abs te inpoſterum crebras expecto, quantum quidem per alia tibi licebit, quæ tibi incumbere multa & gravia non neſcio. Res noſtræ ſatis ſalvæ, niſi quod inopia premimur, & ne opprimamur vereor. In Britannia 3000 Hiſpanorum, recens miles, appulerunt, & inde ſpes quam de pace Mercorius dux fecerat, cecidit. Fuentez Durlanum obſidet, oppidum ſatis validum in finibus Atrebatum: nos, qui vix unum exercitum ſuſtentamus, tot locis pares eſſe non poſſumus, quamvis in Picardia Bullionius cum Comite Santi Pauli, (è familia Longovillana) & aliis, copias cogat, ſi fortè liberare obſidione Durlanum poſſit. Sed nobis cum Hydra res eſt: quotidie & ubique neſcio quid nobis mali renaſcitur. Rex occupato oppido Peſme,
quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

quod Grey & Dolam interjacet, bene munitũ & loco ſitum commodo, dicitur Veſontionem petere, volentibus civibus: quos ego præſidio Hiſpanico ita premi arbitror, ut eorum voluntati locus non ſit. Lotharingi, conſcripti à Chaſteaubrehan & Artigoty, antequam ſe Hiſpanis jungerent, magnam partem à Mareſchallo Bironio cæſi ſunt, cæteri fuſi fugatique. Guiſius virum ſe in Hiſpanos probat: laudatur ſane ejus opera. Sed cum Mayenna compoſitum arbitror, eò facilius quod Regem Britannia invocat. Lediguierium & Corſam ajunt in Sabaudiam feciſſe impetum. Rhingravius Philippus qui Durlacenſi cum equitibus 200, in finibus noſtris conſcriptis, militabat, ante paucos dies hac iter fecit, & ad Regem proficiſcitur nobis militaturus. In Hungaria feli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

feliciter rem procedere lubenter audio. Atque utinam pacata Gallia, illum hoſtem omnes peteremus. Et Mansfeldii laudes mihi gratæ ſunt, alumni militæ noſtræ. Sorbonicum collegium, coram Senatu, genibus flexis, ob damnatam Regis Henrici III. memoriam & approbatas Pontificis Excommunicationes, fateri ſe in Deum & Majeſtatem Regiam peccaſſe, & peccato veniam à Deo & Rege atque Senatu petere ignominioſe, SC^to^ adactum eſt. De Cancellarii Polonici in Tranſſylvanum odio, peto ut explices, cauſam enim non video. Amicis iſtic omnibus ſalutem plurimam. Vale V. CL. & me ama. Raptim. Prolixiores dabo proxima occaſione, Argentorato. VI. Aug. 1595.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CI.

RESponſum ad tuas ſcriptas VII. Julii, miſi Francofurtum: Ex eo redditæ mihi poſtremæ ſcriptæ XI. Julii. Dominum de Saury exſpectamus die XII. Auguſti. Nanceium venit II. Auguſti, abſente Duce, qui & ipſe erat in Acidulis, ſed is etiam relicta potione rediit domum. Illum ſalutabo nomine tuo & amicorum diligenter. Interruptus acidularum uſus facit, ut fructum nondum ſentiam quem ſperabam. Sed repetere conſtitui: Interim ſingulis diebus jejuno ſtomacho, ne deſueſcat, unum aut alterum poculum exhaurio. Primum impetum, quo Strigonium aggreſſi ſunt noſtri, audio repulſum eſſe, puſillanimitate militis Germanici, qui conceptum terrorem nondum exuiſſe videtur.

tur. Tranſſylvano & ipſe timeo: periculum eſt ut parum fortiter defendatur ab iis qui auctores ipſi hujus belli fuêre. Sed ſi vera ſunt quæ de Turcici Imperatoris ſocordia feruntur, benè Rebus Christianis ſpero. Illa verò quæ de 50. mil. Tartarorum cæſis fuſis, & fugato Ferrat Baſſa, & exuſta Nicopoli, ſparguntur, ſunt ne credenda nobis? optanda certè. Cancellarii in Tranſſylvanum odii cauſam exprimis, in qua hærebam. Pax Belgica quam Spiræ tractandam ſcribis, nulla eſt. Ordinibus, quàm Cæſari, aut Principibus Imperii longè alia mens: ferè dixi, melior: ſed præfatâ veniâ. Deus modo adſit conſiliis adoleſcentis illius Reip. quæ ut ſubitò crevit, ita precor ut vitalis ſit. Pugnatum eſt ad Durlacum, dum Comes San-Pauli & Bullionius auxilium ferre obſeſſis

volunt: & è nobilitate noſtra plurimos cecidiſſe ajunt. Sed de eo nihil mihi adhuc conſtat, niſi conſtitutum fuiſſe Bullionio perrumpere hoſtium caſtra; quod non niſi multo ſanguine fieri potuit. Cum Mayennâ nihil tranſactum arbitror: & mala fide eum agere ſuſpicio eſt. Plura & certiora intra dies paucos. Vale V. CL. cum filio & amicis iſtic omnibus, Dn. inprimis Baumgartnero & Domino Nutzelio. Arg. VIII. Auguſt. 1595.

CII.

TUas ſcriptas XXII. Julii accepi. Heri tandem tamdiu exoptatus & expectatus Dominus de Saury advenit, qui tibi & Magnificis Dominis Baumg. & Nutz. multam ſalutem. Is apud te brevitatem harum excuſabit. Obruor enim. Ad Veſontionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Rex fuit dies quinque: acceptis 30 mil. coronatorum receſſit, VII. Aug. caſtra habuit inter Arbois, (locus præſtantiſſimis vinis nobilis) & Salins, in hoc oppido octo ſigna Helvetiorum ſunt. An quicquam tantaturus ſit per vim valde dubito. Aliò eum res publicæ vocant: & magna celeritate arbitror Lugdunum petiturum. Omnino intempeſtivè nobis clades illa ad Durlanum, & Grolium obſidione liberatum accidit. Sed ex illa ſalvum eſſe Bullionium credimus. Quamvis valde urgear negotiis aliis, narrabo tamen tibi rem geſtam. 120 milites ex cuſtodibus Regii corporis, ſecundo Auguſti, excurrunt prædabundi, oppidulum petunt, intactum (nomen Ornans) poſtquam ad id ventum eſt, audiunt in eo eſſe 800 Sclopetarios, qui ante paucas horas intra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

traverint: perſtant nihilominus in propoſito, portas effringunt, & alia oppoſita perrumpunt munimenta, 180 & amplius ex illis interficiunt, totidem ferè vulnerant, aliquot capiunt, reliquos fugant, oppidulum diripiunt, & nullo è ſuis amiſſo recedunt. Illos ducebat Dominus d'Iſſay, inter Burgundiones clarus. In Sabaudia feliciter rem geri à Lediguierio confirmant, & premi Cameracum. Plura per proximum tabellarium. Vale & illos magnos viros à me ſaluta. Raptim Arg. 13. Aug. 1595.

CIII.

HEri litteras ad te miſi Francofurtum, feſtinanter exaratas, nec mihi nunc multum otii. Sed ſalutem quam tibi & Dominis Baumgartnero & Nutzelio dicere juſſit amantiſſimam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Dominus de Saury, repetere libuit, ab ipſo repetitam. Libellum parentis tui, viri ſanè incomparabilis, heri accepi Baſileâ, negligenter ſatis editum, nec placuit ſtatim in ſecunda pagina Bezæ nomen ita notatum ut quivis intelligat. Ita ſcriptus eſt libellus ut optãdum fuerit, neminem ejus lectione arceri: & vides illo nomine quamplurimos ab ejus lectione prohiberi. Et illa, ni fallor, cauſa tibi fuit, nec parentis nomen adſcribendi, nec cuiquam inſcribendi. Illa ad Durlacum clades, & ſoluta Grolii obſidio facit ut vix eum quem ſperabam exitum, negotium quod hic tractamus ſit habiturum. Rex ad Veſontionem fuit quatriduum, & 30. mil. Coronatorum extorſit: inde in Arbois, vinis præſtantiſſimis nobile oppidum, ex quo ad Salinas iter habuit. Sed eum & Helve-
tiorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tiorum interceſſio, & peſſimè affecta Britannia & Picardia, & alia negotia avocant. Ex tot Principibus, qui ſe amicos dicunt, nemo in eorum vicinia conſtitutum Regem, vel verbo ſalutavit. Sed viderint ipſi, recedente Rege, quid Hiſpanus incepturus ſit: cujus eò rabies devenit ut à Pontifice petierit, ut copias in Hungariam deſtinatas contra Regem verteret, à quo plus ipſi quam à Turca eſſet periculi. Cum Mænio tranſactum arbitror, & Regem in itinere Lugdunenſi eſſe. Vale Vir Clariſſ. & illos à me ſaluta officioſè. Argent. 14. Auguſt. 1595.

CIV.

NOn utendo pleraque amitti, docent J. C[ti]. ni fallor. Veritus ne Magiſtri poſtarum quam à te habeo dignitatem amitte-

rem, huc excurri. Verè excurri: nam intra quatriduum huc veni Argentinâ. Quæ mihi ratio peregrinandi in poſterum ſanè difficilis. Fructum illum fero à victu Germanico: nam ætas & anni, aliâs, ad laborem. Quadrageſimum primum annum nondum implevi, & labores fugio! Sed turpe me in his nugis eſſe, dum in periculo eſt Picardia noſtra. Cameracum obſideri ab Hiſpanis notum tibi, & obſideri 15. millibus militum & tormentis ſexaginta. Intra urbem vix miles fuit continendis civibus, qui deditionem vix cœpta obſidione non cogitabant ſed profitebantur. Neverſius qui San Quintinis Filium, (Ducem Retælenſem vocant) auxilio obſeſſis miſit, Is urbem ingreſſus eſt cum equitibus cataphractis 350. & ſclopetariis centum. Hoc præſidio tutam à civi-
bus

bus civitatem fore ſperant, uti-nam & ab hoſte. Sed nobis illa periit, niſi auxilio ſunt aut Angli aut Belgæ. Regi, ut arbitror, nunc cum Eſpernonio res eſt: de quo mihi certè dubium, bellum an officium malit. Sed illa mitto. & mitto ad te monetam Regis noſtri. Monetam voco, quæ te commonefaciet Optimi Principis, quem tibi carum eſſe probaſti multis rationibus. Mitto & litteras à Saurio noſtro, cui tu carus multis nominibus. Ego hîc neſcio an ſubſiſto an perſequor vicinum veſtrum Marchionem. Cauſa profectionis huc meæ, non eſt hujus chartæ. Sed ſiqua poſſum ratione, ſubripiam me ad horulam, ut colloqui tecum poſſim, & te amplecti. Saluta interim niſi grave eſt Ampliſſ. Dom. Baumgartnerum, fratrem filiumque, & me ama ted amantem. Gentili

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

etiam ſi videris, confirma quæſo, me ei amicum ex animo. Narrationem ad te mitto à Bullionio, eorum quæ geſta ad Durlanum. Tuas ſcriptas 11. Aug. accepi pridie quàm diſcederem Argentinâ. Tu vero Vir Clariſſ. vale. Onoltſbachio 24. Aug. ſt. v. 1595.

CV.

IN conſpectum urbis noſtræ veniſſe te inſalutato, neſcio an condonandum mihi. Et nihil ſanè velim magis quàm excurrere ad vos. Sed abeſſe hinc niſi confecto negotio quod propter adveni, non poſſum: & recurrendum mihi ſtatim per diſpoſitos equos. Novi quod addam nihil habeo. Burgundica ad te ſcripſi Argentorato, quo cum revertero, reſumam ſcribendi ad te officium, & orationem Cardinalis reddam ſalvam Calandrino noſtro,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſtro, cui me ſpero adfuturum Francofurti ſub finem mercatus. Horrorem mihi ejus lectio incutiit. Amicos ut ſalutes à me & me illis excuſes valde peto. Iis ego & tibi ſum

Schvvabach. addictus æternum
27. Aug. 1595. I. B.

CVI.

VErbulo, rediiſſe me huc ſalvum ſignificabo. D. de Saury conveni Hagenoę, vocatus eo per litteras quæ mihi in itinere redditæ: aderant ei Legati Lotharingici, Electoris Palatini, Bipontini, Wirtembergici, Durlacenſis, Admiſtratoris noſtri, Capituli & Civitatis. Certatum variè utrinque, necdum quicquam compoſitum. Et arduum ſanè, tot emendare, bello & tranſactione peccata graviſſimè. Cras, ut ſpero, Lotharingus ipſe dux cum filio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Cardinali veniet Pfaltsburgum, quinque hinc miliaribus, quo & nos. Interim Cameracum premitur: Legatos in Angliam & Hollandiam ad eos miſimus, quorum magis quàm noſtra intereſt, in Hiſpanorum manus civitatem non devenire. Rex ipſe componendis cum Eſpernonio, Nemurſio, Mayenna, Sabaudo, Ioyeuſio, rebus incumbit. Et Eſpernonius facilem ſe præbet, ſi fides ei habendum eſt: cum Nemurſio, id eſt Sanſorlino tranſactum arbitror: Mayenna fluctuat incertus: de Sabaudo ſpes eſt, & in eam rem Legatos miſſurum promiſit. Ioyeuſius, poſt matris ferocis fœminæ obitum, commodior eſt: & Toloſæ imminent Vantadurius Dux, & Malignonius Mareſchallus. Revolabit Rex inde Lutetiam: & ſi res iſtic aliquo modo fuerint, non luſe-

luſerit operam. Bironius in Breſſa eſt cum exercitu. Interim in Comitatu Burgundiæ oppida quædam Hiſpani receperunt. Eſpernonius mihi ſuſpectus eſt valde: & illa adverſa nobis in Picardia hoſtes noſtros reddunt ad pacem tardiores. Speramus auxilia ex Anglia & Hollandia. Raptim. Argent. 17. Sept. 1595. Vale.

CVII.

TAndem reverſi Sarburgo ſumus. Adfuit Lotharingiæ Dux cum filiis tribus Marchione Ponti, Cardinali & Vaudemontio. Ejus auctoritate res aliquomodo compoſitæ, & Tabernenſium Canonicorum animi, qui nihil niſi bellum ſpirabant, ad pacem adducti. Nam infectam Dux cum Rege pacem videbat, niſi Argentinenſe negotium compoſitum eſſet. Sed illi tollebant animos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

animos conſcientiâ conſiliorum veſtrorum, quæ à bello aliena & nobis ſanè indigna nemini ignotum: & clades in Picardia, & adventus Cardinalis Auſtriaci, inſolentiores illos reddebant. Et pudet ſanè negotii hujus. Armatos agere cum illis oportebat, non rudes inermeſque. Et niſi hominum illorum inſolentiam Principes veſtri ultum eunt, quo eos nomine appellem non reperio. Cameracenſis obſidio tenet nos valde ſollicitos. Bullonius remiſit cataphractos 200 & ſclopetarios equites levius armatos 400, ſub Viro, qui magna fide & virtute San-Dionyſio ad Lutetiam diu præfuit. Montpenſerius cum copiis appropinquat & Rex ipſe, jam præmiſſis qui ei aderant Nobilibus, reliquis evocatis, hodie diſceſſurus eſt Lugduno, ubi Coneſtabilē noſtrum reconcilia-

vit

vit Lediguierio, Reſque cum Mayennâ compoſuit. Eſpernonius XVI. hujus Valentiam venit, mandata ibi Regis excepturus, ut ipſe quidem dicit. Sed & cum Sabaudi Legatis neſcio quid negotii fuit XII. hujus menſis prope Lugdunum: & pro Joyeuſa & quibuſdam aliis, qui munita oppida tenent in finibus Andium & Pictonum, intercedit Mayenna & de Mercurio bonam ſpem facit. Romæ quid actum ſit XXX. Auguſti, notum tibi. Pendent verò hæc omnia ex ſucceſſu obſidionis Cameracenſis. Salve à Domino de Saury & vale V. CL. Argentinâ 24. Sept. 1595.

CVIII.

TErnas abs te accepi, Primis erant adjunctæ litteræ ad Dn. de Saury, quas ipſi reddidi. Juſſit diſcedens plurimam tibi ſalutem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

lutem dici. Diſceſſit autem Argentinâ prima Octobris ſt. n. Secundis erat adjuncta Chronographia Hungarica, pro qua ſummas tibi gratias. Tertias hic accepi ſcriptas 23. Sept. miſſas ad me Argentinâ. Et erant iis adjunctæ aliæ inſcriptæ Waldenfelſio noſtro, quas remitto. Eſt enim in vicinia veſtra. Pro iis quæ de Hungaricis ſcribis, & tibi quod ſcribis, magnas & Deo, quòd tam felices ſucceſſus tribuat, ingentes gratias ago. Noſtra in Picardia, per Regis abſentiam ſanè malo loco ſunt. Sed eadem illius præſentiâ, ſpero reſtitutũ iri. Cameracum civitatem amiſimus conjuratione Civium & Helvetiorum: & de arce neſcio quid ſperare audeam. Avaritia Balagnij rem perdidit, ut arbitror. Sed de iſtis Argentorato certiora: Cras enim reditum

co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

cogito, revocatus litteris amicorum. Rex XXIV. Sept. Lugduno diſceſſit. Conſtabilis cum Senatu regio remanſit. Et compoſitis in Picardia rebus, reverti eò Rex ipſe conſtituit. Sed difficiliora iſtic omnia reperiet quàm ipſe opinione concepit. Comitatus Burgundiæ, interceſſione Helvetiorum, pacem recepit, ita ut neutralis ſit, ut loquuntur. Verdugo, de quo poſtremæ tuę, diem obiit Lutzelburgi. Librum editum à Durlacenſi Marchione Germanicum, miſi ad te Argentinâ. Hipprocratem Wechelianæ editionis curabo ut habeas. Vale Vir Clariſſime & amicos iſtic à me omnes ſaluta. Argentinâ 16. Oct. 1595.

CIX.

QUæ mihi à te ultimùm redditæ ſunt, eæ ſunt ſcriptæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

29. Sept. Facis mihi rem omnium gratiſſimam quòd & prolixè & liberè ad me ſcribis. Res in Hungaria feliciter fluere gaudeo. Sed mihi neque ea militis eſſe videtur alacritas, neque ea conſilia quæ fuerunt Mansfeldio duce. Noſtra per Regis abſentiam languent hactenus, imo pereunt in Picardia. De Cameraco pudet dicere: ita male id perdidit Balagnii tyrannis & avaritia. Animos illa civium alienavit, hæc exhauſit omnia ad victum bellumque neceſſaria. Sed me in hac tanta jactura conſolantur juſta Dei judicia: & juvat inter ruinas noſtras proſtratum videre tyrannum, & ejectum ſolio ſuo male parto, peſſime adminiſtrato. Sed quid eo factum ſit, nondum plenè cognovi. Regem Lutetiæ fuiſſe primo aut ſecundo Octobris, omnino mihi perſuadeo: & eſſe jam in fini-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

finibus Picardiæ non dubito cum exercitu numeroſo. Sed veterem querelam meam repeto. Inopia nos jugulat. Nihil ſolidi incipere aut peragere per eam licet. Paratam habemus promptamque nobilitatem: & eam ſanè egregiam. Sed quis eos diu retineat egentes? Ad aliquot ſeptimanas perſtãt quamdiu allata domo pecunia durat, parati in omnia. Illa ut exhauſta eſt, domum reſpectant, & abeunt tandem. Pedes noſter periit omnino, vitiata civilibus bellis diſciplina, & non ſolutis ſtipendiis in rapinas effuſus, in civem quàm in hoſtem promptior. Sed exſpectemus quid Deo collubitũ fuerit. De Romano illo actu quid ſentiam petis: ego me non expedio, donec ab ipſo Rege cognovero quid illi in mãdatis dederit. Interim non poſſum non deflere miſerandũ hunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

caſum: iſtorum conſiliorum au-ctores exſecrari: & ſubiraſci, (ne quid dicam gravius) Principibus noſtris Euangelicis, qui ignavia ſua (ne quid & hîc gravius dicam) & perverſis conſiliis publicas res eunt perditum, & ad extrema illa Regem adigunt. Euangelicos dico, in quibus cum omnia movi, Euangelicum nihil niſi nomen reperio. Scribo ad te, ut ſoleo, liberè. Sed expecto ego à Deo boni aliquid & ſolidi, poſtquam inſanire & deſipere mortales pæne omnes video. Saurius noſter Nauccio abiit IX hujus, altero die conjuncturus ſe pediti ad Neufchaſtel Lotharingiæ oppidum: eques, ad Sainct Diſier, adeſſe ei debuit, quem ducunt Chalignius Comes, Mercurii frater, & Artigotii. Pax in Lotharingia proclamata eſt, ſed capita nondum ſunt ſollemniter conſcripta. In Ben-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

feldii munimentis disjiciendis ſegniter Lotharingi laborant : laborant tamen. Et ſequiores eos res nobis adverſæ reddunt. Exclamem libenter. O ignaviam Principum! quæ quidem tanta eſt quantam tu cogitatione comprehendere non potes : quantum in Viros, non dicam Principes, ſed in viros abjectiſſimos cadere mihi perſuaſum ante hunc diem nunquam fuit. Tolle manum. Pro Hungariæ deſcriptione elegantiſſima & accurata, quam poſt libellum Chronologicum accepi, ago tibi, amiciſſime Domine, magnas gratias. Hippocratem accipies à Wechelianis, illi enim miſſurum ſe receperunt. Moſcovitica dona an tam magnifica fuerint quàm fertur vulgo, quæſo edoce, & quid ſit illa in Walachiam aut Moldaviam Zamoſcii irruptio : & quid Sinanus

paret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

paret, ſi id vobis notum: Vereor enim ne nobis imparatis, illi vires reſumant: & ſi ſapiunt Principes, Fortunam jam faventem non amittent. Territum habent hoſtem, & veterano milite & ducibus bonis deſtitutum. Vale Vir Clariſſime, & amicos iſtic optimos & præſtantiſſimos viros Dominum Baumgartnerum, Nutzelium, alios, ſaluta à me officioſè. Fratri tuo Viro Clariſſimo & filio ſalutem, nec Illuſtriſſimum Dominum Comitem præteritum volo. Quæ hac hora accepi Lutetiâ, ea habes hiſce adjuncta. Orationem Cardinalis Bathorii remitto, pro qua ſummas tibi habeo gratias. Argentorato, 22. Oct. 1595.

CX.

BInas abs te habeo ad quas non reſpondi, ſcriptas 14 &

20.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

20. Octob. & laborare veſtra in Hungaria video & noſtra ſanè malo loco ſunt, ni Deus, uti fecit hactenus, ſubvenit. Inducias cum Mayenna & ſub ejus nomine cum cæteris Conjuratorum ducibus, Mercurio & Ioyeuſa factas & proclamatas cognoviſti: ſub quibus certam pacem latêre plerique noſtrûm ſibi perſuadent Ego ipſe cum Mayenna tranſactum judico. Lutetiæ exſpectamus alteram illam ſpem noſtram, Condæum Principem: quod prudentiores arbitrantur futurum publicis confirmandis: nec ab illis abeo. Succeſſor in oculis certus, & hoſtis terrebit & prava pleraque conſilia avertet & ſubditos jubebit benè ſperare in poſterum. Sed detecta Lutetiæ gravis Conjuratio, conjecti in carcerem ad 30. è quibus quinque XII. Oct. partim ſuſpendio, partim igne per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

perfidiam luerunt, & ſequenti poſt die ſupplicium de aliis ſumptum audio. Ultimo vero Octobris Dominum de Saury ſalvas copias ſuas Regio exercitui junxiſſe ex ipſis Domini de-Saury litteris ſcriptis penult. Octob. Spero. Salvas inquam: nam ipſis in itinere hoſtis nec auditus eſt: & ſuppeditata ubique annona. Ægroti erant tum in toto illo numero xx. Rex occupatus erat recognoſcendis urbibus Picardiæ, & in exercitu expectabatur x. hujus menſis, ſed relictis copiis properare ad ipſum Saurius juſſus eſt. Tullenianus noſter Cognetius ad annonam curandam in Hollandiam miſſus. Neque enim exhauſta illa regio ſuſtinere abſque ope externa Regium exercitum poteſt. Neverſius diē ſuum obiit, noſtro, ut ſpero, bono: noſtro inquam, qui Religionem reformatam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

matam profitemur. De Cameraco ſilentium mihi indico, poſtquam hoc dixero, præfectos urbium aliarum eſſe ex eo dictis mandatiſque Regiis obſequentiores: & quod ſummopere recuſabant antea, præſidia admittere atque ultro petere à Rege. Saltem periculo noſtro ſapiamus aliquando: nec periculo tantum, ſed prope exitio. Pax reſtituta eſt comitatui Burgundiæ, etſi turbare adhuc neſcio quid Tremblecurtius videtur. Sed Italiam repetit miles Hiſpanicus, frequens Baſileâ tranſiens. Eſpernonius mihi valde ſuſpectus: & quid tentaturi ſint Guiſius & Lediguierius ſuſpenſo animo expecto. Balagnius ſtipendium à Rege habebat ad duo millia militum: & cum hoſtis advenit non habuit 300. nec annonam quidem quæ tantulo numero ſufficeret. Salutem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Ampliſſ. Dnn. Baumgartnero & Nutzelio, Clariſſ. Dn. D. Philippo & filio tuo, Illuſt. etiam Dn. Comiti. Tu vero Vir. Clariſſime ſalve ipſe & vale. 8. Nov. 1595.

CXI.

BInas à te accepi, ſcriptas 22, & 24. Oct. quarum hæ priores mihi redditæ. De iis quæ Romæ ſunt à noſtris acta, expecto Regias litteras. Nam ipſe inde me non explico: & quæ ſparguntur audire pudet. Inſolita iſta genti noſtræ: Vobis olim familiaria & quotidiana. Et illa Cameracenſis clades mordet me ſanè. Sed præſtare unus tot hominum aut fidem, aut diligentiã non poteſt: nec intereſſe ipſe omnibus. Circumſideri Feram rumor eſt. loco paluſtri & aquoſo ſita, certo conatu peti hoc tempore non poteſt. Rex ipſe ad firmãda in limite oppi-

oppida profectus erat: & reducem in exercitu eſſe arbitror. Sed quid tentare hac tempeſtate in provincia exhauſta poſſit non video. Itaque reverſurum Lutetiam mihi perſuadeo, & daturum operam, ut quæ reſtant in ipſo interiori Regno recipiat. De Mænio, quin tranſactum ſit non dubito: & acceſſurum Ioyeuſam ſpero. Mercurius difficilior erit. Sed & hi tanti conſtant, ut vix ſit operæ pretium: nudos nos deſpoliant: & quicquid corradere ex inopia noſtra poſſumus, reconciliandis iſtis harpyis impēditur. Sed oportere hoc omnino fieri quacunque via, quocunque pretio judico. Neverſium diem obiiſſe ſuum dixi, ni fallor proximè præcedenti epiſtola. Obiit 25. Oct. in oppido Neſle. Bullionius Sedanum rediit, reficiendi ſe, ut arbitror. Sed & ab ipſo expecto litteras. Et

quàmprimùm certi aliquid habuero, id ut cognoſcas curabo. Cæterùm meritas diligentiæ tuæ gratias agere non poſſum: ita aſſiduus es in ſcribendo, ut reſcribendo vix aſſequi ipſe te poſſim. Fateor in conditionibus de quibus convenit in hos noſtros & Lotharingos quædam minutatim nimis tractata eſſe. Sed nos inſiſtere oportuit præſcriptis nobis capitibus, & dies multos atque ſeptimanas in diſputãdis minutiis iſtis perdere. Quod quàm facile & gratum fuerit Domino de Saury, ſi ingenium ejus noſti, relinquo tibi dijudicandum. Hoc ſaltem aſſecuti ſumus, magno, ut ſpero, & hujus oræ & totius Germaniæ bono, ut vaginâ pænè extractus Lotharingicus gladius recondederetur. Sed hæc aliâs. Quidquid de ſucceſſu Tranſilvanico feratur, ego egregio illi Principi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

timeo: ne tandem, omnibus hoſtium copiis petitus, quod meretur auxilium non inveniat, & deſtitutus opprimatur. Deus meliora. Nam ille certè de re Chriſtiana bene meritus eſt: quam & te unà Deo commendo. Magdeburgi audio pecuniam Hiſpanicam depoſitam ad militem conſcribendum. Si quid tibi de eo auditum, quæſo te, facias me certiorem, de conſiliis Principum quibus injunctum eſt negotium pacis Belgicæ ſiquid cognoveris, peto ut mecum communices. Hippocratem juſſi ad te mitti: fortè defuit Wechelianis mittendi commoditas. Vale Vir Clariſſ. & prudentiſſime, & Ampliſſ. Dn. Baumgart. & Nutzelium Clariſſ. item Dnn. DD. Philippum & filium ſaluta à me officioſè. Argent. 17. Novembris. 1595.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CXII.

CUm adjunctas ad te meas jam complicaſſem, redditæ mihi ſunt tuæ ſcriptæ 25. Oct. cum Peuceri litteris. ad has reſpondi feſtinans: feſtinabat enim tabellarius, de cujus diſceſſu tardius ſignificatum eſt mihi. De actione pacis inter Regem noſtrum & Hiſpanum nihil mihi, niſi ex rumoribus, conſtat. Ad illam hortantur, dehortantur multa: de quibus aliâs. Sed de Belgica pace & principibus quibus ea eſt cura demandata, ſiquid eſt tibi compertum ut nobiſcum communices velim. Malam Ordinibus gratiã vereor ne referant iſti pacis auctores: ad quam utinam omnes certam bonamque pervenire poſſemus? Sed in tanta perfidia, nihil eſt quod ſperare audeam. Quamprimùm certi à

noſtris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

noſtris aliquid habuero, id faciam ut ſcias. Sed non placet, quod ſumptu etiam te oneras ut tuæ ad me perferantur. Si rem mihi facere gratam cupis, tabellarios ad me mitte à quo mercedem accipiant. Vale Clariſſime & Præſtantiſſime Domine. Argentorato. 20. Nov. 1595.

CXIII.

Regem caſtella duo ad Feram erigere, ni fallor, ſcripſi ad te nuper. Fera oppidum eſt & ſitu & manu munitiſſimum: aditus duos habet anguſtos, cætera paludes claudunt, & incertum ſolum. Caſtellorum unum erigendum & defendendum ſumpſit Sanſius noſter. Ego vero vereor valde ne poſtquam Rex abſceſſerit, valida manu hoſtis caſtella aggrediatur, quæ reſiſtendo non erunt. Sed & copias quas nunc

exiguas Rex habet, (pleriſque in præſidia diſtributis) alere exeſa provincia non poteſt. Et pecuniæ publicæ apud nos & annonæ magna inopia: nec aliter poteſt ceſſantibus externis & lõginquioribus commerciis & agricultura, pleriſque ipſis agricolis demortuis. Civitas Sueſſonenſis aut per inducias aut certa pace cum Mænio, nihil hoſtile tentat: nec alias ad Feram tam ſecuris eſſe liceret. De Mercorio dubia omnia: de Eſpernonio infeſta nunciantur. Nemurſius apud Ferrarienſem fuit, conſilii exquirendi: & Mater ad pacem eum & ad officium trahit quantum poteſt. Ille nunc Taurini, quò & advenisse Auſtriacum Cardinalem cognoviſti Italicis litteris. Coneſtabilis Mommorantius Lutetiam ingreſſus eſt ſollemni comitatu: & Turonum ante menſem appulerat

Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Condæus Princeps; eum & ipſum Lutetiæ eſſe arbitror. Bullonius ſeſe ad ferendam obſidionem, quam Hiſpani intentant, Sedani magno opere comparat: quam ut ſpero, majori animo feret quam Balagnius. Hunc ajunt exhibuiſſe litteras Regi, acceptas & ſcriptas à Neverſio, quibus deſperare de Regis adventu jubebatur. Eam ſibi deditionis cauſam fuiſſe, tùm extrema expectare & pati, ſine ſpe ulla auxilii, extremæ dementiæ eſſe judicaret. Conceptum inde dolorem, cauſam mortis ſubitæ Neverſio, homini aliâs, qui umbram potius & larvã quam hominem referret, fuiſſe ajunt. Iam menſis & ſupra quod ſuſpendiis & igne noſtri Lutetiæ in conjuratos animadvertunt, qui de inducendo in urbem Aumalio conſilium ceperant: & captus etiam Hiſpanus quidam, qui con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſilia Navarræ & Arragoniæ occupandæ, præferens, à Rege Hiſpaniarum immiſſus erat interficiendo Antonio Perezio. Amicos iſtic omnes ſaluto officioſe. Vale V. CL. Argent. xxx. Nov. ſt. n. 1595.

CXIV.

TUas ſcriptas IX. Nov. accepi ultimo, ſt. n. Recte tu quidem, Virorum optime, quæ eveniunt ea ſecundum Dei voluntatem æquo ferre animo, & meliora ſuo tempore ſperare nos debere. Sed ſi ſperandum eſt, contra ſpem nobis ſperandum eſt. Namque in hac paſſim & morum & conſiliorum corruptela, quæ ſpes eſſe poteſt? Et ferenda quidem iſta omnia, non tantum æquo animo, ſed etiam ut Stoici volunt, læto, ſi vim liceret inferre naturæ. Nobis quidem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

dem, (quoniam in Stoicos delapſus ſum) non totus hic ingens naturæ ambitus, patria eſt, in quo ſi hîc non, alibi benè eſſe liceat: Sed ipſa Eccleſia patria eſt: quæ ipſa Catholica & toto diffuſa orbe, non eſt uni loco adſcripta. Sed in hac ipſa, plura reperio quæ me male habeant, quàm in reliquo Reip. corpore. Namq; viſibilem illam, de qua tot libris ſermonibuſque diſputatur, ego nullus video: & in Utopiam abiiſſe exſulatum arbitror. Sed hæc epiſtolica non ſunt. Quæ de Maſſilia ſcribis, ea litteris Italicis & nobis ſignificata ſunt: ſed talia ſunt, ut iis nulla habeatur à me fides: quamvis hoc ſæculo nulla videatur ſatis contra auri Hiſpanici corruptelas firma fides. Ergo etſi illa acciderint, acciderint quæ ſolent ætate noſtra. Ex Provincia nihil niſi bellum nunciant.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Hinc Guiſius & Lediguierius, & Corſa: illinc Eſpernonius, quem à Sabaudo, id eſt Hiſpano, & Nemurſio ſuſtentari non dubito: ita ut atrocis iſtic belli facies exſurrectura videatur. Lediguierium Rex, prudenti conſilio adjunxit Guiſio, Legatum à ſe. Moris jam hoc noſtri, ut provinciarum præfectis adjungantur Legati, ſeu locumtenentes, qui non ipſorum præfectorum neque ab ipſo conſtituti, ſed Regis & ab ipſo Rege conſtituti Legati ſint: quorum operâ prava præfectorum conſilia, ſi quæ agitent, frangantur aut turbentur, donec ſtatuere de eis Regi commodum ſit: qua ratione ſervatæ à Guiſianæ familiæ conſiliis provinciæ ſub Rege ultimum defuncto nonnullæ, Campania inprimis, quæ ipſi familiæ principi erat addicta provincia. Albertus Cardinalis Taurini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

rini eſt, ad quem Mediolano profectus eſt Aurangius 18. Nov. cum Caſtiliæ Coneſtabilis Mediolanum reverſus eſſet 16to. Utrumque non magni facere mihi Ordines videntur, contra quàm ego ſentio. Namque neque Erneſti ingenio metiendus eſt Albertus, negotiis & Hiſpanicis conſiliis innutritus, & quod caput eſt, auro, ſi vera narrant, onuſtus. Et Aurangium timeo propter certum quendam hominem aliquomodo vicinum veſtrum: de quo ſi divinas, preme apud te, & nota: & divinabis, ni fallor, aut dicam ego poſtea apertius. In Anglia comparant ſe ad excipiendam claſſem quam inſtruere Hiſpanus dicitur validam: & in Hibernia nihil firmi: cæterum exigua illis de publicis rebus cura, qualis Principibus veſtris: qui ſi ſe Auguſto Imperii nomine
tutos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tutos putant, ut putant, næ illi fallunturturpiſſimè. Habes ad ea quæ propoſuiſti, quid ſentiam. De noſtris ſcripſi minutius ante triduum, quibus addo, Lutzemburgicos apparatus Metenſibus & Sedanenſibus eſſe ſuſpectos: & Metenſes pulverem Bombardicum & alia quædam à Palatino Electore, & ab hac Rep. petierunt. Margaris noſtra, olim Regina, Lutetiam adventat, ubi ſollemniter res ſuas ſibi habere Rex jubebit. Coneſtabilis noſter Lutetiam ingreſſus eſt x. Nov. Vale V. CL. Ampliſſ. Dominos Baumg. & Nutz. & Illuſtrem Dominum Comitem & Cll. Dominos DD. Philippum & filium ſaluto officioſiſſime, litteras ad Zuingerũ adjunctas tuis ad me, curavi. Hippocratem ad te miſſum VVecheliani ſignificarunt. Baſileam exſpatiabor fortè ſub finem

finem anni: litteras ad me mitte, ei ſcriptas cui libellum de Miſſa commendaveras, ſiquid fortè indagare poſſim. Baſilii Ethicos ſermones ſi Latinè editi ſunt Lutetiæ & exemplaria reliqua ſint, curabo ut habeas. Iterum vale. Arg. 3. Dec. 1595.

CXV.

DUdum eſt quod nullas à te accepi: & meæ ſcriptæ xxx. Nov. alteræ etiam III. Dec. an tibi redditæ ſint, dubito. mittebam illas per veſtratem, has per Argentinenſem tabellarium, qui ad vos creber commeat. Vulgaria nova cognoſces ex adjunctis, ſatis illa obſoleta: ſed quæ mittenda ad vos putavi. Hiſpanicus miles Burgundiam attigit, & comitatum Mombelgardenſem, jam ante multos dies. In Genevam aliquid cogitaſſe rumor eſt: & Car-

Cardinalem iter facturum Baſileâ ajunt: quod mihi vix probatur. De Fera in bona ſpe ſumus. conveniſſe deditione ajunt, ſi intra Natalem non adeſſent firma auxilia. De Caſtellis quod in vulgaribus novis leges, ita habet. Duo ſunt ad Feram aditus manufacti, aggeſta in paludes terra: in iis duo caſtella Rex excitat. Fluviolus urbem influit, ad quem & aditus eſt congeſtis ſordibus & immunditiis factus: ad eum Aggerem Rex ſtruit, compellendo in urbem flumini: atque ita excreviſſe ajunt, ut tota urbe, ad aliquot pedes aſſurrexerit. Mommorantius in caſtris eſt. Condæus ad Lutetiam: cujus me conditio afficit. Sed me reprimo. Mænium certo confirmant cum Rege fuiſſe, eumque Sueſſonem induxiſſe. Solmenſis Eberhardus, ex vulnere quod ad Feram,
horâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

horâ ipsâ quâ primum advenerat accepit, convaluiſſe dicitur. Sed Tremblecurtium, mandatu Lotharingiæ Ducis interemptum conſtat hoc modo. Remiremontii, oppidum eſt nobilium Monacharum, quibus liberæ nuptiæ ſunt, in finibus Lotharingiæ & Burgundiæ, pernoctabat: Conſobrina ejus virginibus iſtis princeps eſt. Adveniunt miſſi à Duce ſatellites, multa nocte: auxilium à civibus petunt. circa noctem mediam domum in qua ille quieſcebat, (ſi ulla iſtiuſmodi ingeniis quies) obſident ferro & igni: mandata à Duce exponunt, Vivum eum an mortuum ad Ducem deducere: ferrum & ignem oſtentant, ni deditionem faciat. Cùm nec reſiſtendi nec aufugiendi ulla ratio eſſet, dat ſe in eorum poteſtatem. Ductus in aperta, tanquam Nanceium ad

Ducem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Ducem deduceretur: jubetur ſi quid mandare ultimùm vellet expromere, & ſe ad mortem comparare. E propinquo pago ſacerdotem impetrat, etiam ut liber ſolutuſque cum eo colloqui poſſit. Sclopetarii hinc inde diſpoſiti, obſervant hominem, qui effugio datam occaſionem ratus, ſepimentis, qui in proximo, hortis & agris defendendis, ſaltu, magno animo, ſuperatis, ſe in Moſellam præcipitat, ſed globulis aliquot, antequam ſe in aquã immitteret, in ipſa etiam aqua ictus, deficientibus viribus, ſatis eſſe exclamans, ſubmerſus eſt. Finem habes hominis ut audaciſſimi ita & leviſſimi. Inſolenter ſe erga Ducem dictis factiſque habuiſſe & de liberando Marchione de Chauſſin, (is Mercorii ducis frater eſt, quem captivum tenet jam biennium Dux) con-

conſilia agitaſſe ajunt. Vir Clariſſime vale & amicos iſtic omnes officioſe ſaluta à me. Arg. XXIV. Dec. 1595.

CXVI.

TUas ſcriptas VI. Dec. hic tabellarius mihi reddidit cum extracto purgante, pro quo ſummas tibi gratias dico: Nondum eo uſus ſum: nam pridie quàm redderetur pillulis fueram uſus. Quod in ſchedula addidiſti, mirum mihi: eò Principes proceſſiſſe, ut de nummis pauculis ſolliciti, concordiam inter ſeſe negligant. Et quid audio? Danicos Proceres, anguſtias illas ſuas, id eſt libertatem Regnumque ſuum vendere Hiſpano? cui illas dant utendas ſervandas, ad triennium, ni fallor. Ille ipſis duplum reditus numerat. Itane illi in ſervitutem ruunt? Et in Polonia

nia audio graves inſtare motus, ob eos malè habitos qui à Pontifice Romano alieni ſunt. Tu ſiquid tibi de iſtis cognitum, ſignifica. Omnino magnæ ubique & graves & horrendæ inſtant mutationes: ad quas ferendas, ſi ſuperſumus, Deum oro, ut largiri nobis conſtantem in fide animum velit. Nos ad Feram adhuc hæremus: & ſperamus. Sed quod compoſitum ſcripſeram, id verò nihil eſt. Rex ad 12. millia peditum habet, equitatum egregium, nihil concedere hoſti certus. Sed ego ne alterius urbis obſidione ſuſcepta, negotium nobis hoſtis faceſſat, vereor: niſi quòd, non ſolutis ſtipendiis, militem in Belgio tumultuari ajunt. Spes illorum in Cardinali: quem in Burgundia cum copiis eſſe quidam confirmant: alii jam celerem præteriiſſe ajunt. & copiæ quidem in

Bur-

Burgundia ſunt, ad 8000 hominum, ut qui plurimum. Eum parvi facere videntur Ordines. Bullonium etiã gratioſum eſſe apud Regem confirmare tibi poſſum, qui ab eo literas habeam frequentes. Munitioni Sedani inſiſtit, Domina ipſa cum gynæceo corbim geſtat aggerendæ terræ. Metis etiam ad 1500 homines reparant muros & aggeres ſtruunt. Ex variis litteris excerpta leges à Domino Calandrino. Illuſtriſſimo Domino Comiti & Ampliſſimis Dominis Reip. veſtræ columnis, ſalutem officioſiſſimam dico & Clariſſimis viris Dominis D. Philippo, & filio. Argentinâ Kal. Ian. 1596, quem tibi tuiſque & Reip. veſtræ felicem à Deo precor.

CXVII.

CXVII.

VIx vacat tribus te verbis ſalutare, ita obruor variis litteris quas hic reperi pænè innumeras. Sed mittam intra triduum tabellarium ad vos, qui plenas tibi reddet. Interim dicam & Eſpernonium vitam ſuam fortunaſque ſuas omnes Regis arbitrio commiſiſſe, & de Maſſilienſibus eſſe bonam ſpem. Sed Fera noſtra, omnino fera: lentum ſanè negotium. Regi conſtitutum, exſpectare & tentare ultima. In Burgundiæ Comitatu tumultuatur quidam præfectus Italus Antonius nomine, qui in ea provincia bonam Hiſpano operam navavit, & Cardinalem Auſtriacum comitatus, cum ſtipendia multorum menſium debita negarentur, relicto Auſtriaco in Comitatum ſe recepit & aliquot caſtella aut oppida

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

pida occupavit. Ita aureos illos montes ſuos in nos impendere omnes conſtituit Cardinalis, nec quicquam in alios antea delibare. Sed hæc pluribus intra triduum. Tuas hic accepi ſcriptas 3. Jan. & alias recentiores 22. Jan. cum Peuceri & Lobbetii, & narratione Polonica. Exſpecto, niſi moleſtum eſt, de Bambergenſi & Nuncio Apoſtolico & Tranſylvano, quæ tibi erunt nota, & ſi quæ habes de Hiſpanicis copiis quæ conſcribi dicuntur, &c. Ignoſce audaciæ meæ, & amicos ſaluta à me, fratrem imprimis & filios & Ampliſſimos Dominos Baumg. & Nutzelium, huic reſcribam illa occaſione. Vale Clariſſ. Domine Argent. 18. Febr. 1596.

CXVIII.

ITa variis diſtrahor ſcriptionibus, ut hanc ad te pagellam exarandi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

randi vix tempus concedatur. Nos hîc examinandis & puniendis latronibus occupati fuimus ſumuſque. Dachſtenii triduum eſt quod quinque capitis ſupplicio affecti: præfectus ipſorum qui arci Dachſtenianæ præerat, adhuc in vinculis adſervatur. Hodie ajunt de hiſce civibus pronunciatum iri. Lentè hi homines & frigidè in re tanti momenti procedunt. Magna enim proditionis ſuſpicio ſubeſt: utinam vana. Sed ego pænè certam arbitror: & tangere hoc ulcus hi reformidant. Tibi quidem hoc dictum. Genevam etiam ajunt intra paucos dies proditiones duas evitaſſe. De Eſpernonio ſcripſi ad te nuper, permiſiſſe eum ſe Regis arbitrio. Vtinam ſeriò. Hiſtoriam noſti de ſubjecto pulvere bombardico, ex qua de ejus morte rumor. Sed Maſſilia adhuc hæ-
ret:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ret: & certo conſilio irrumpere, aut irrepere potius Lediguierium cùm conſtituiſſet, à duobus Guiſii miniſtris proditum: qui exinde patibulo ſuffixi. Ordines Belgici, auxilia quæ habent in Gallia, Regi porro alunt. Ea ſunt trium millium Vaſconum quos ducit la Nous, celeberrimi patris non indignus filius: & pænè totidem Scoti & Belgæ. Angliæ Regina Legatum apud nos habet Onthonum, qui de Reginæ ſuæ voluntate & animo prolixè pollicetur. Sed & Ioyeuſam Cardinalem in aula noſtra eſſe arbitror: Inducias cum Hiſpano adfert à Pontifice: quas Rex non recipiet, niſi deſtitutus auxiliis eorum quorum intereſt bello Hiſpanum noſtro detineri. Ad Feram certum Regi, prœlium exſpectare, abſque quo inferri auxilia non poſſunt. Et ad id Nobilitatem ſeveris edi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ctis advocavit. Sed fames mala nos premit obſidentes: & mihi non mirum tantum, ſed miraculum, quomodo ſufficere alendo militi poſſit illa provincia. De Cardinali Auſtriaco nihil habeo memorandum. Pollicetur ſibi & pacem ſe confecturum & in Regem Romanorum electum iri: hoc volente Cæſare non puto futurum. Cardinalitium eſt Regna petere: ex Luſitania ad nos exemplum manavit, quid ni & ad vos, maximè cum hic ipſe è Luſitania vobis adveniat. Dn. Nutzelii litteras curabo ad Dn. de Freſnes. Ampliſſ. Dn. Baumgartnero & Clariſſ. Dn. D. Philippo & filiis tuis ſalutem. A te vero expecto Catholicam epiſtolam. Vale Vir Clariſſ. & me tui obſervantem ama. Raptim. Arg. 27. Febr. 1596.

CXIX.

CXIX.

PAucis ad tuas reſpondeo. Hic ſilent omnia: niſi quòd de abducto Pragam Knibſio ſermones multi. Et certè involat in libertatem noſtram veſter Cæſar, magnâ Ordinum patientiâ, quæ, niſi in ſervitutem, quò ſit evaſura, non video. Fera noſtra nondum manſueſcit. Interim receptæ Maſſiliæ gaudio fruimur, quod nobis utinam ſolidum ſit. Legatum habemus in Lotharingia firmandæ iſtic paci, & reddendis recipiendiſque urbibus hinc inde occupatis. Bullonius ex aula redux, totus eſt in muniẽdo Sedano. Quotidie tabellarium quem miſi in Galliam exſpecto, à quo plena & certa omnia ſpero. Quidquid is attulerit, faciam ut & vos ſciatis. Privatum conſilium meum quod in extrema epiſtola attingis, puta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

bam tibi notum. Exſpecto an mihi per Regem excurrere liceat. ſi minus licet, differendum erit in mediam æſtatem negotium, in quo quod benè precaris mihi, facis tu pro more tuo, amicè: & eo nomine habeo tibi ſummas gratias. Ad Peucerum nihil eſt quod ſcribam. Nam querelis replere chartam, chartam perdere eſt & operam. Elegantes ſunt Mureti verſus.

Here, ſi querellis, ejulatu, fletibus
Medicina fieret miſeriis mortalium,
Auro paranda lacrumæ contra forent:
Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent,
Quàm nænia præficæ ad excitandos mortuos.
Res turbidæ conſilium, non fletum expetunt.

Addidi, quia neſcio an tibi lecti antea. Interim vale Vir Clariſſ.

&

& ſalve cum Ampliſſ. Dnn. Baumgartn. & Nutz. & Dominis fratre & filiis. Argent. 21. Martii. 1596.

CXX.

VLtimas meas ad te dedi Argentorati 21. Martii. Hîc tuas mihi reddidit Calandrinus noſter ſcriptas 17. Martii: ad quas invalitudo mea vetat multis reſpondere. Ut primum huc veni. correptus ſum auginæ quadam ſpecie & febricula ſanè moleſta. Sed ingentes tibi gratias dico quod tam copioſè ad me ſcripſeris: & ut porrò pergas, valde abs te peto. De Polonico conventu & alia quæ indicas, exſpecto abs te: ſed moleſtiam deſcribendi à te ſuſcipi nolim. Si quis ſit ad manum qui præſtare poſſit, mercedem laboris lubenter exſolvam. Hîc de reddita Fera rumor, Antverpiâ & Coloniâ: ego verò

ἐπέχω, dum aliquid habeamus certius. Copiæ Regis ejuſmodi ſunt, ut eas non facile aggreſſurus ſit Hiſpanus. ſed vereor ne deditâ Ferâ, noſtri defeſſi diſcedant in ſua quiſque, & Cardinali pro lubitu urbem in limite noſtro obſidendi occaſionem præbeant. De navali exercitu Anglicano dudum eſt quod audiviſti: Eum ajunt jam eſſe 150 navium: cui Ordines XXV. adjungunt inſtructas ad menſes quinque. Eſſexiũ ipſum & Amiraliũ Angliæ profecturos ajunt. Sed de ſingulis ſcribam ad te copioſè quamprimum potero: Nunc tentatur caput iſtâ febriculâ. Vale Clariſſ. Domine cum Ampliſſimis Dom. Baumg. Nutzelio &c. (ad D. Nutzelium, ſcribam) & familia tota. Adjunctas ad Hutterum tibi valde commendo, ut prima occaſione curentur. Francof. 7. Apr. 1596.

CXXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CXXI.

BInis tuis reſponſum debeo. Baronem à Gray vidi, egregium ſane adoleſcentem: de profectione in Galliam conſilium dedi: & jam hinc diſceſſit Genevam, inde Lugdunum petiturus, ubi, tamquam gladiator, in arena conſilium capiet. De Bullionio quæ Italicis litteris feruntur, ita falſa ſunt, ut quæ falſiſſima. Nam & eum cujus maximè opera atque induſtria in munitionibus exſtruendis utitur, ad eum Rex miſit, cujus conſilium in muniendo Sedano ſequeretur ipſe Bullionius: & Regi jam adeſt, ad Lemovices porrò profecturus Turenam, quo eum ſui vocant. Non nego, dedito hoſti Cameraco, à Rege & Bullionium & maximè Neverſium vehementius increpitos. Quod Guiſianis maxima quęque

que committantur, ſecurum te eſſe jubeo. Guiſio credita Provincia, ad Eſpernonii inſolentiam premendam, ſed additus veluti cuſtos Lediguierius. Mænio quid hactenus Rex crediderit, nondum video. Sed ita diſtractum eſt & diſciſſum Conjurationis illud Corpus, cujus non caput ſed Capita erant Guiſiani, ut ſub iiſdem coaleſcere poſſe nunquam videatur. Sequor exemplum tuum. Liberè ad te ſcribo: ad te inquam, quem ſcio, ſcire cui communicanda hæc ſint. Cardinalis in procinctu eſt: imò obſidere Monſtrolium, ajunt: quod vero ſimile habeo. Deflexit ille eò, quo tardius advenire Regem poſſe judicavit: & ut eſt foſſoribus inſtructus, foſſà poterit firmare caſtra ante Regis adventum: & vereor ut diu ferre machinarum continuos ictus oppidum poſſit.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

De Fera levis rumor, deditam eſſe. Sed rumor, & is levis. Per Calandrinum noſtrum ſpero me certiora daturum. Falſus hic rumor, Caletum Cardinalis obſidet, nimis pro loci momento, levi præſidio inſeſſum: & portũ hoſtis petit. Regi Feram non amittere conſtitutum eſt. Has tibi reddet Generoſus & excellentis indolis adoleſcens Pleſſæi Mornæi filius. Commendat eum Virtus paterna, commendat & ſua ipſius, quæ in bona & matura ſpe. Complecteris ſcio, ingenium & judicium ſupra annos. Fac, quæſo, ut & commendationem meam non inutilem ſibi apud te & proceres veſtros ſentiat. Conſilium profectionis ſuæ explicabit tibi, & ad eam auxilium abs te & veſtris petet. In aula Cæſaris & Viennæ hæreo: iſtic hodie mihi nemo notus. Vos juvare litteris ad amicos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

poteritis. Adjunctus eſt ei comes I. Douza, filius elegantiſſimi ingenii juvenis, quem & ipſum, merentem, complectere. Fratrem & filios ſaluto officioſè: & per te, abſque meis, acceſſus ei erit ad humaniſſimum fratrẽ tuum. Vale Clariſſ. Domine & me ama. Francof. 19. Apr. 1596. Iter parabam in patriam ad paucos menſes: ſed ſubſiſtere me jubent Regiæ litteræ, contra quas ire, non fas mihi. Ita rurſum differtur negotium illud χαμινόν. Mitto ad te opuſcula quædam amicorum, in quibus miraberis hominem jam declinantem & caneſcentem quæſitum Ariſtæneti amatoriis patronum. Sed ita viſum amico Ioſiæ Mercero, filius is Merceri illius cujus in Hebraicis celebris fama. Redditæ mihi hodiè è caſtris litteræ, de quibus narrabit ipſe Pleſſæus. & ſcribam ego per

Calan-

Calandrinum plenius. Iterum vale.

CXXII.

SCripſi ad te per Generoſum Pleſſæum noſtrum, & ei faſciculum libellorum ad te dedi. Sed nec Calandrinum decet abire abſque meis ad te litteris. Ei etiam faſciculum alium tradidi tibi reddendum. Dominum de Saury, ſi adſpiravit ventus, jam in Anglia eſſe certum habeo. Rex adhuc ad Feram, cum lecto exercitu 16. milium peditum & trium milium equeſtris nobilitatis: & concurſu nobilitatis augetur cottidie. Adventabat Nemurſius cum peditum tribus milibus & equitibus 400: & Malignonius cum Aquitanicis copiis: alii. Mœnius locum quem prœlio Rex deſignavit, tenebat duobus milibus peditum & equitibus trecentis, & machi-

nis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

nis majoribus xx. additus ei à Rege, velut inſpector, Bullionius. Regi conſtitutum non omittere Feram, cui victum eſſe ad finem menſis hujus conſtabat. Et hoſtis militem Caſtelleti & Caſtellocambreſii cum annona & aliis neceſſariis diſpoſuerat in omnes intentum occaſiones, ſi forte locum auxilio Rex daret. Interim obſidet Cardinalis Caletum, & turrim quæ ad portum, cui nomen Richeban, ſeptem tormentis oppugnare cœpit 1x. hujus menſis. Quo excitatus Mauricius Comes, trajecit ſtatim ex Hollandia in Zelandiam, ut ex propinquo conſuleret obſeſſis. Heri nuntiatum oppugnationem turris illius hoſtem omiſiſſe, cùm loco ad oppugnandum commodo conſiſtere non poſſet, infeſtante eum è propugnaculis oppidi milite noſtro: & portum intraſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

intraſſe auxiliarias aliquot ex Hollandia naves. Præfectus Caleti Vidoſanus, fidei pignus in Zelandiam miſit conjugem cum familia. Noſtra maximè intereſt non cedere Regem, niſi captâ Fera: Anglorum & Ordinum non venire in hoſtium poteſtatem Caletum. Ego hinc Argentinam. Salutem dico amicis iſtic omnibus & hoſpitibus veſtris Dominis Pleſſæo, Douzæ & Hungerfordio. Francofurto raptim, 23. Apr. 1596.

CXXIII.

ANnus mihi videtur ex quo nullas abs te habeo. Et pauca hæc provocandi tui magis quàm quòd quicquam habeam ſcriptione dignum. Caletum me torquet & hoc ipſum publicæ magis rei cauſa, quàm noſtræ, cujus in poſterum velim Regem rationem majorem habere, poſt-

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

quam omnes alii, veſtri præſertim, ſuæ quiſque incumbit: quàm tutò, Deus viderit: certè parùm honeſtè, & valde imprudenter. Sed hæc aliâs. Reſumitur cum Sabaudo pacis tractatio: & ei rei miſſi à Rege Sillerius, Legatus nuper apud Helvetios & Bironius Mareſchallus. Eſpernonius Provinciâ cedit. In vicinia noſtra obiit Betſtenius; mortuum in lecto XII. Apr. familiares invenerunt, cum pridie omnia functus eſſet officia ſani hominis & valentis. Suſpicio quibuſdam à veneno. Morte Tremblecurtii, cujus auctor habebatur, Nobilitatis in ſe odium accenderat & Marchionis Pontamuſſani: plebis vero odium meruerat exactionibus, quarum ſuppeditare Duci conſilia dicebatur: & in ultimo Ordinum conventu, ita vehementer negotium tractaverat, ut invitis

&

& reclamantibus omnibus, tamen duos miliones Francorum Lotharingicorum impetraret exſolvendis Ducis debitis: at illi exigendi à plebe, rationibus inauditis. Non jam de Caleto ſolum ſed & de Fera auxius ſum. Vereor ut ea vigilantia omnia adminiſtrentur qua decet, Hiſpanis in propinquo conſtitutis, quorum tria milia peditum, octingenti equites in Cameracenſi agro in omnes occaſiones intenti ſunt. Vereor ne vanâ forte de prœlio famâ, ſtationem deſerat optimus quiſque. Omnia denique in hoc actu vereor: & omnia tandem. Teque cum tuis Deo commendo Opt. Max. Vale. Argent. v. Maii. 1596.

CXXIV.

LEgebam, cùm ſe obtulit hæc ad te ſcribendi occaſio, Conſilium

ſilium parentis tui, magni ſanè viri, de rebus Belgicis. Prudens illud & virile: in quo nihil togati præter verba ipſa Latina & apta. Videretur è republica eſſe editio. Sed ab ea te alienum fore, multas ob cauſas judico. Legebam illa, atque ejus generis alia, non averterem à cogitatione impendentium malorum, animum: ſed ut malis illis ipſis quærerem à magnis viris conſilium. Et ſi inveniam, fruſtra inveniam. Nam aures obturarunt ad ſana omnia Proceres. Fateor: nihil me tot iſtis annis æquè affecit & commovit, atque oppugnatio illa Caleti: de qua ſuperſedeo, donec acceperim ab amicis litteras. Hoc interim facile eſt judicare, Nec vim Hiſpanicam, nec corruptiones ferre nos ſejunctos poſſe: & magno illum gradu ad tyrannidem properare, niſi nos conjunctim oppo-

opponimus. Adeone Principes hos, non dicam dignitatis ſed libertatis & Religionis ſatias cepit, ut adventantem ſervitutem ſedentes & parati ſpectent? Sed hæc ventorum ludibria. Menſis eſt, ex quo nihil ego à te. Sed ego etiam ex quo huc redii, ſcripſi, ſed raptim: quod & nunc. Vale Clariſſime Domine. Argent. xv. Maji, 1596.

CXXV.

CUm nihil à noſtris habeam, nec habeo quid ſcribam ad te. Angli non territi Caleto capto, expeditionem ſuſceptam perſequuntur: quò vero illa tendat, adhuc in obſcuro eſt. Longinqua eſſe non poteſt: nam victum habent ad quinque tantum aut ſex menſes. Imperium maris iſtius Hiſpanus cogitat: utinam fruſtra: unicum ad Monarchiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

& compendioſum iter. Et veſtri homines ſedentes jugum exſpectant, volentes illud, opinor, gaudenteſque ſubituri. Nos pugnamus & repugnamus, ſi infeliciter, ſaltem viriliter. Octo milia Anglorum à noſtris exſpectari dicunt: Ego toti iſti limiti malè metuo, niſi ſubitò nobis adſint auxilia. Namque per civilia noſtra bella, quæ ad extrema regni ſunt, neglecta: media munita & contra vim ædificata. Excellentem humanitatem tuam prædicat Pleſſæus, & tibi ego pro tuo in illum ſtudio ſummas ago gratias: uti & pro opera quam mihi das in quærendo ſcriba, quem velim promiſcuè omnia quæ ad vos præferuntur ex Auſtria, Bohemia, Hungaria, Tranſſylvania, Polonia, Pruſſia, Sueciâ, &c. exſcribere, ſi reperiri poſſit. Quæ huc veniunt, paucula ſunt. Saurius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

rius in Anglia eſt: cujus ſi fruſtra ceſſerit Legatio, libertati longum vale dicamus ſuadeo: & ſolo Reip. reſpectu repudiatam à Rege pacis cum Hiſpano tractationem, dolebo. Folium Hippocrati addendum, miſſum Lutetiâ, hîc habes, & Scotiæ Regis commentatiunculam aptam huic tempori. Vale Clariſſime Domine, & Ampliſſimos iſtic viros, quæſo, ſaluta à me officioſiſſimè. D. Lobbetius ſalutem tibi dicit multam. Arg. xxi. Maji. 1596.

CXXVI.

Tuas illas quibus habitæ in Polonia orationes & ruſticis datum reſponſum addita erant, accepi in acidulis: è quibus me è veſtigio revocarunt grati hoſpites, de quibus docebit te Dominus Calandrinus noſter. Gratiſſimæ illæ tuæ, & gratum

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

quod cum ſcriba conveniſtis. Se
de judicio quod de Rege quidan
faciunt, quæ ſcribis bilem mih
graviter commoverant, quæ ad
ventu iſtorum hoſpitum deſed
pauliſper. Tuum & ſanorum om
nium eſto judicium, Ille qui ſu
ſeque Reip. devovet, qui quot
tidiana pericula adit ſubitque lu
bens, qui in Rep. defendenda to
tus eſt: An qui deſident torpent-
que, & qui adcurrentem ſervitu-
tem vaſtitatemque cernunt im-
moti, dici Reip. proditores me-
ritò debeant. Illum & actiones
ſuæ omnes & tota vita, & illa ipſa
quæ quotidiè adit pericula ſatis
etiam apud iniquiſſimos abſol-
vent. Hos otium & torpor &
actiones in aliud quidvis quàm in
Remp. directæ condemnant. Sci-
licet ille cum Hiſpano colludit,
cujus Regnum vitamque Hiſpa-
nus cottidie armis inſidiiſque ap-
petit.

petit. Næ, iſti quos dicis judices
ugo ſunt Hiſpanico digniſſimi.
ed me reprimo. Chaſteaubre-
an, qui aliâs Beer, Lotharingus,
nilitem colligit in patria quem
licitur ducturus in Hungariam:
ſpectũ hoc vicino noſtro Mar-
hioni: E comitatu Burgundiæ
ilitem omnem Cardinalis ad
vocat: Et in Italia magnæ copiæ
icuntur non in Turcam ſed in
os conſcribi: Et in Alſatia miles
tiam Hiſpano conſcribitur. Vale
Clariſſime Domine, & ſaluta à
ne Ampliſſimos Dnn. Baum-
art. Nuzelium, alios. Dico &
Clariſſimo Domino D. Philippo
 filiis ſuis ſalutem officioſam.
 Domino de Freſnes ne verbum
uidem, & urgeo tamen litteris:
Ixor ejus fuit in aula nuper &
npetravit à Rege quæ matura-
unt exſolutionem nominum:
ræter quam ille ſatis à ſe eſt ſol-
vendo.

vendo. A veſtro ſcriba exſpecto
omnia magna exigua. Tu, pr
amicitia tua juva. Salutat te Do
mina mea. Argentina. Raptim
Kal. Iun. 1596.

CXXVII.

TErnis tuis reſponſum debeo
datis 22. Maii. 1. & 6. Iunii
Sed ante omnia gratias tibi ag
quam maximas quod litteris tui
Pleſſæum noſtrum adjuviſti: qua
rum favore benignè ab Admini
ſtratore Saxonię exceptus eſt, cùm
noſtrum hunc Aminiſtratorem
ad quem habebat à me litteras, n
aſpicere quidem licuerit. Ea eſ
Principum veſtrorum educatio
nis lex. De vicino veſtro miror
non deponere eum in public
hac calamitate ſerviles curas. D
publicis rebus, quòd me diligen
ter edoces, facis rem mihi gratiſ
ſimam. Et ſatis ex ſententia pro
cedere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

cedere Hungarica, gaudeo. Sed ſucceſſum iſtum video ex ignavia hoſtis maximè pendere. Vtinam eſſet iſto ingenio Hiſpanus, qui magno & celeri gradu ad tyrannidem Orbis properat, & aſſequetur, ni Deus obſit: nam in humana aut virtute aut prudentia, parum opis video. Nos jam oneri pænè ſuccumbimus: & labimur niſi fulciunt vicini: ſed & abſque iis, ſi deſertum officium volunt, Deus aderit. Stantes ſaltem, ut Imperator ille voluit Imperatorem, morimur: in opere & labore ipſo deficimus. Res docet: nec velim aliud ignaviſſimis hominibus reſpondere, qui deſidiam ſuam impudentiâ excuſatam putant, qui otio ipſi ſuo cum hoſte colludunt, & produnt publicam rem. Nec poſſunt operis omnis negotiique ignari, de iis qui in perpetuo ſunt opere, rectum ju-

dicium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

dicium ferre. Sed de iſtis aliâs.
Iamdudum ego nihil ex aula habeo. Rex quantum video, hoſti
conſilia ſpeculatur, nec immergere ſe ulli certo negotio vult,
donec viderit, quo ille impetum
ſuum converſurus ſit. Oſtendam
hic obſidet jam: & obſidionem
aliquam aggredietur noſter. Nam
illum ad pugnam cogere, qui ad
manum habeat undique tot ſuas
munitiſſimas & inſtructiſſimas
urbes, nulla ratio ſiverit. In Anglia ictum cum Regina à Bullionio & Saurio fœdus arctiſſimum: cujus mihi conditiones
nondum cognitæ. Mora vero illa
Anglicanæ Claſſis, ſuſpecta mihi
eſt. Impetu illi, ut nos, valent:
morâ franguntur: & comparaverit ſe interim Hiſpanus ad illos
excipiendos, aut conſilia illorum
auro corruperit facilè. Inſoleſcit
Allobrogum Regulus, prout fo-

cero adſpirat ventus. Genevam periclitari ajunt: & petere illum à Bernatibus tres præfecturas, quę ad Lacũ, pro quibus offerat 800. millia coronatorum: recuſantibus arma intentat. Sed Bernates & ipſi arma parant, vereor ut ſerò: & ut omnis illa in Genevenſes, quibus hi haud ſatis æqui, comparata ſit fabula. Namque ſi illæ ad Lacum præfecturæ, in quibus Morges, Sabaudo ceduntur, perire incluſos caſſibus miſeros neceſſum eſt, & aut in Sabaudi poteſtatem venire, aut ſe Bernatibus dedere: quorum alterutrum, perire eſt. Sed hæc ſummo illi Imperatori, ſub quo militamus, curæ ſint. Nos ad tot tantaque, abjecti nimis. Caſaubonus noſter graviſſimè & periculoſiſſimè decumbit. Scribit is poſtremis ad me ſuis, litteras ſe miſiſſe à Domino de Freſnes, & cui tradiderit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

curandas indicat, filio Iunii Profeſſoris Scholæ hujus. Ego vero illas nullus vidi. Et in iis aliquid, ſine dubio, de noſtro negotio. Rarò iſtius ad nos litteræ per tot manus veniunt. Sed illum urgeo crebris litteris. Vale amice magne, & Ampliſſ. Dom. Baumgart. & Nutzelium Clariſſ. fratrem filioſque ſaluta ex me, quibus ego tibique addictus. Exemplaria libelli Scotici, ſex mitto. Argentinâ 24. Iunii. ſt.n. 1596.

CXXVIII.

Litteras tuas ſcriptas 24. Junii accepi Argentinâ diſcedens. Invalitudo tua me malè habet. Sed ex eo melius tibi eſſe ſpero. De Tranſylvani ſucceſſibus mira narrant, & antiquis comparanda. Bono rei Chriſtianæ natus eſt Princeps ille. Abſque eo eſſet, quis decertantibus inter ſe Principi-

cipibus Chriſtianis aut deſidentibus, immanis illius hoſtis impetus exciperet ? Regi noſtro pacem à Pontifice cum Hiſpano offerri ajunt, ſi ferre in noſtros arma velit: ſed tuliſſe reſponſum, Pacem non abnuere: ſed bellum Hiſpanicum nullo alio quàm Turcico mutare conſtituiſſe: deponere hîc arma, & in Turcas vertere paratum eſſe. Exercitus noſter in Arteſia agrum hoſtiem vaſtat, quæ gerendi belli ratio Ordinibus ſummopere probatur, nec ſuadent obſidione ulla Regem implicari, donec appareat quo ſe Cardinalis converſurus ſit. Hic vero, urbes oppidaque ad mare Flandricum, quæ in Ordinum ſunt poteſtate, undique tentat, ſicubi incautis obrepere poſſit. Oſtendâ, ſtatim ſe verſus Hulſt, Terneuſe, Axele, Biervliet, & Polder de Namen

vertit. Sperans ſe improviſum unum ſaltim oppidum oppreſſurum. Sed ubique præſtò adfui Princeps Mauricius : & ille di 5. Julii derepentè in Brabantiam immiſit exercitus partem ſine impedimentis, & machinis, (ponte una deferri ajunt) quæ iter Bredam tenere viſa eſt. Adfuit illico Mauricius & in Lillo conſedit: & ad hoſtem excipiendum omnia illis Locis comparata eſſe adfirmant. Copias Ordinum Rex dimiſit, quo aut ſe defendere certius poſſint ſi eos ſeriò Cardinalis petit, aut in ipſum tentare aliquid ſi Galliam repetit. Claſſis Anglica die 19. Iunii xv. à terrâ miliaribus, ſuperabat promontorium quod Finis terræ dicitur, & curſum tenebat inter Meridiem & Occidentem, ad Meridiem paululum deflectens. Qui conjecturis indulgent, Liſbonam aut Gade

des aut Terceram petere ajunt. Sed Terceram teneri præſidio 6000 hominum militarium: Gades duum millium: in Luſitania nihil ad vim ſuſtinendam eſſe admodum comparatum: Liſbonæ excubare ſolos ſexcentos præſidiarios arci impoſitos: Cætera & immunitum eſſe oppidum & plebem imbellem, & ſervitutis Hiſpanicæ pertæſos incolas: addunt alia quibus perſuadent ſibi poſſe cum fructu in Luſitania tentari aliquid: & de Duce Bragantiæ, hoc juniore, neſcio quid admurmurant. Mihi verò, & tardius ſolviſſe Anglica videtur claſſis, & tempus dediſſe Hiſpanis ſeſe ad omnia comparandi, & ſiquid ſucceſſerit, non poſſe adeſſe ſtato tempore Anglica auxilia, obnoxia ventis: interim opprimi illos & laboribus alieno cœlo ſolutos & forte morbis aut bello imminutos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

nutos, à tot Regnorum incolis poſſe. Probabile mihi quidem fit, quod quidam affirmant, ſucceſſibus Cardinalis negligentiores factos Hiſpanos, nihil minus hodie quàm claſſem exſpectare; quam putent tuendæ oræ ſuæ vix ſufficere contra adſpirantem Cardinali fortunam: atque juſſos litteris Conſilii Hiſpanici, Lisbonenſes ab illa claſſe vivere ſecuros: neque ullum hominem urbe emittere. Ego verò poſtquam omnia ſtudioſè penſitavi, permittenda Deo omnia judico, qui ſolus potens prudenſque eſt facere quod lubet, lubet autem quod ex bono eſt bonorum. Cardinalem à Pontifice novum Legatum, jam advenisſe Lutetiam arbitror: & copiis Regem in limite recentibus inſtructum eſſe à Nemurſio atque aliis. Qui Ardreſium dedit Belinius, dignitatibus omnibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

bus exutus, relegatus eſt domum privatus. Lutetia ab eo in Regis poteſtatem venit; id homini vitam ſervavit. Iuliacenſia quo loco ſint, non ignoras. Et conſultant adhuc Principes veſtri! næ illi magno malo digni, qui peſſum ire Rempublicam undique ſecuri ſpectant. Sed me teneo. Non poſſum tamen quin liberius aliquando aliquid ad te excidat, quod tuum eſſe volo. A Domino de Freſnes, ne verbum quidem: & periiſſe aut ſaltem errare ab eo litteras miſſas à Caſaubono, ſcripſi ad te Argentinâ. Ego vero reſcripſi iterum ante diſceſſum diligenter. Obſecro te, inquire num extet Chronicon (aut ut illo ævo, Chronica) Hungarorum Iohannis de Thvvrocz. Exemplaria libelli Scotici miſi ante aliquot ſeptimanas. Vale Clariſſ. Domine & niſi moleſtum eſt, ſaluta

à me Ampliſſ. Dominos Baumgart. & Nutzelium, huic vero me in negotio Domini de Freſnes etiam excuſa: non ceſſabo donec ſatisfactum videam. Iterum vale, & Clariſſimo fratri filiiſque multam ſalutem. Francofurto XV. Iulii, 1596.

CXXIX.

Binas tuas & iis adjunctas Peuceri accepi heri, ſcriptas 4. & 6. Iulii. De Electore veriſſima prædicas: ſi quid in Germaniæ Principibus bonæ ſpei reſtat, in ipſo reſtat. Pietatem hauſit penitus; & magnitudo animi ſatis elucet. De noſtris, & Belgicis & Anglicis ſcripſi ante paucos dies pleniſſimè, ex quibus cognoviſti alias oras quam Cantabricas ab Anglis peti. Hiſpanicam verò claſſem in Britanniam appuliſſe rumor fuit, cui ego non adſentior.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tior, & qua ratione inde Caletum penetrare poſſit non video. Hoc verò avertat Deus. Conatus ſuos in Genevenſes & in Bernates Sabaudus necdum remittit, & Helvetios omnes Hiſpanus mire ſollicitat : ad omnia iſta Principibus veſtris otioſe & turpiter ſpectantibus. Nam nos afflicti & jacentes, quî occurrere omnibus poſſumus ? De Caſaubono jam ſecurum te eſſe jubeo. Convaluit; quo nomine bonis litteris & litteratis gratulor, & Deo gratias ago. Productas cum Mercurio in Britannia inducias ajunt : & magnum tormentorum numerum parari à Rege. Cardinalis ad Hulſtum copias promovit. Ordines nihil omittunt eorum quæ vigilantes Duces decet. Sed paucitate militũ laborant:& omnino tempeſtivè auxilia eorum dimiſit Rex. Ego Argentinam excurro,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

intra octiduum adfuturus, Deo dante. Vale. Scripſi raptim, Francofurti xx. Julii, 1596.

CXXX.

EXcurrere hinc Argentoratum coactus, abſui dies undecim. Comitem itineris habui volumen poſtremum epiſtolarum parentis tui, viri ſine invidia magni: in quo cum placerent omnia, liber ſecundus tamen ad Stibarum, familiariter & verè epiſtolico ſtylo ſcriptus, præ cæteris vehementer placuit. Sed in eo quàm multa ille divina prorſus mente prævidit! Cernimus hodie & patimur, quæ ſuo ſæculo eventura prætimebat. Quàm piè vero, poſt humanas ſollicitudines piaſque curas, omnia tandem Deo cõmittit? Stibarus quis fuerit, niſi moleſtum eſt, explica, & quis Vilelmus Bigotius Gallus ad quem exſtat

exſtat epiſtola ſub finem tertii: adde, quęſo, quid factum ſit commentario de rebus Turcicis, de quo legiſſe me excuſum fragmentum memini, ſed quale & cui adjunctum operi non memini: ita non amplius reſpondet memoria. Venio ad publica, quæ ſanè talia ſunt, qualia illa paſſim deſcribit optimus & prudentiſſimus parens tuus. Bullionius 25. Iulii, Regis miſſu, navigare Boloniâ in Angliam conſtituerat, fidem in fœderis capita daturus accepturuſque. Rex juſtum exercitum ad XV. Auguſti habiturum ſe confidebat, interim Arteſienſem agrum vaſtat miles qui in illo limite diſpoſitus. Cum Mercorio de induciis conveniſſe ad VIII. menſes ajunt. Claſſis Anglica XXVII. Iunii, promontorium San-Vincentii ſuperaverat, & die inſequenti viſa eſt di-
ſtans

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſtans xv. milliariis à San-Lucar de Barameda. Sed navim unam è velocioribus (Pinaſſam vocant) rediiſſe in Angliam ferunt, quæ referat Gadibus expoſitum Eſſexium cum copiis. Addunt quidam & Gades & naves onerarias atque bellicas captas ab Anglis. Sed nos amplius. Rideas etiam cum intelliges Regem Hiſp. mortuum, & filium repudiari ab Hiſpanis, natum nuptiis inceſtis. Ut ut ſint iſta, ex animi ſententia rem gerere Anglos opto, & Deum precor vindicem ſcelerum quibus ab Hiſpanica gente affecti afflictique pii. Ad Hulſtum dubiæ adhuc res. Sed elapſus Iulius menſis intra quem Flandris receperat Cardinalis ſe Hulſto & Axelâ potiturum. Caſtellum occupavit, ex quo liber ei ad oppidum aditus, ſed machinas ad oppugnandum collocare intutum viſum,

quam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

quamdiu caſtellum Naſſovium in noſtrorum eſſet poteſtate. Id Axelam reſpicit, & ingreſſum egreſſumque liberum Ordinibus ſervat, qui nuperrimè & militem recentem immiſerunt & tormenta & neceſſaria alia omnia intulerunt oppido, nondum ſatis firmato operibus. In eo ad 3000 militum ſelectorum, qui eruptionibus exercitum Cardinalis valde fatigant minuuntque quotidie. Duos Colonellos ut vocant, Capitaneos XV. LXXX ex iis quibus præcipua erant munia militaria demandata, & è vulgo militum ad 3000 deſiderari in Cardinalis exercitu ajunt: & cæſum etiam Burlottam quidam ſcribunt, virum inſignem audaciâ. Fuit is olim Caroli Mansfeldii ejus qui in Hungariâ periit, tonſor. Illius manu, Roſnii conſilio, Cardinalis utitur maximè. Roſnius natione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ne Lotharingus eſt, educatione non animo noſtras, uxorem etiam noſtratem duxit familiâ generoſâ, favore olim Guiſii provectus. Lanoum à nobis & militem ex Anglia Ordines exſpectant: qui in eo peccarunt graviter quòd non validius ſeſe ad excipiendum Cardinalem compararunt. De morte Cardinalis Lotharingici, rumor Argentinæ & ſuſpicio. A Domino de Freſnes multos menſes nihil habui litterarum. Non ceſſabo tamen quin vos liberem. Ampliſſ. viris Dominis Baumg. & Nutzelio, & Clariſſimis fratri & filio ſalutem. Illuſtri etiam Domino Comiti, niſi moleſtum eſt. Vale. Francof. 6. Aug. 1596.

CXXXI.

POſtremæ tuæ 20 Julii ſcriptæ ſunt, quibus erat additũ excerptũ de Juliacenſibus rebus. Pro iis

habeo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

habeo gratias. Scripſi ante octiduum ad te copioſe. Hodie brevior ero, quia dimittendus mihi eſt aulicus tabellarius noſtras. Anglos occupaſſe Gades, navibus & pretioſis mercibus potitos eſſe, portus oppoſitos Gadibus vaſtaſſe, & maximum injeciſſe Hiſpaniis terrorem vulgatum eſt: & ſi lubet, leges ſingula in charta quam ad Dn. Calandrinum mitto curandam Ambergam. Regina 40. naves parat quibus 6000. militum imponat, illis ſubſidium. Ut juſtus eſt Deus! Ego verò Anglici militis intemperantiam & calores & vina Hiſpanica & inde morbos malè metuo. In Eſſexio magna vis animi ingeniique: & hæc ei diu multumque meditata eſſe conſtat. Sed omnis ſpes mea in Deo eſt, quem prædones Orbis terrarum, prædæ aliquando expoſiturum confido. Ad Hulſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſtum pertinaciter Cardinalis ſedet: ipſo die Jacobi, quem ſanctum fauſtumque habent Hiſpani, erupit Pironius qui ſub Solmenſi Comite militi præeſt, & deſideratis ſex è ſuis, Hiſpanos occidit amplius 200. in quibus præfectos tres. Sed & Roſnium, cor Cardinalis, globo in tentorio ſcribentem ictum, capite minutum eſſe affirmant. Sed remitto te ad chartam. Ad Dn. de Freſnes ſcribo Lutetiâ, quam viam nondum tentavi. Conjugem ejus in viciniâ illa eſſe ſuſpicor, ad quam etiam ſcribam: & ſi forte Lutetiam venit, conveniet eam Domina mea, quæ ſalva ad ſororem meam pervenit, & negotium ut ſpero conficiet. Summæ id mihi curæ eſſe, tibi & Domino Nutzelio perſuadeas velim, cui & Domino Baumgartnero & fratri filiiſque multam officioſamque ſalu-

ſalutem dico. Quantus ſit exercitus Cæſareus in Hungaria, diſcere ex te velim: & ſi quid de Mendozæ Legatione præterea habes, ſi quid etiam de Coronatione Danica & qui ei Principes ſint adfuturi. Vale Clariſſ. Domine. Francofurto XIII. Aug. 1596.

CXXXII.

Litteras tuas ſcriptas 3. Auguſt. accepi. Diligentiæ & humanitati tuæ ſummas habeo gratias. Ita eſt omnino ut narras. & honor litteris perit & cum eo ipſæ litteræ. Attamen Turcicum Commentarium magni viri parentis tui ut emittas valde ſuadeo. Non potes magis tempeſtivè. Gratum futurum omnibus non dubito. De induciis cum Hiſpano à nobis initis, falſum ego habeo. Contrarium enim Rex ipſe ad me ſcribit. Exſpectat Bullionii ex Anglia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

glia & Hollandia reditum, ut ſe- rið arma repetat. Ceſſat interim multas ob cauſas, in quibus publicæ ſunt, Inopia & peſtis quæ limitem tenet. Ad Hulſtum ſtrenuè res geritur. Ad ſex hominum millia Cardinalem amiſiſſe narrant, in quibus Roſnium, qui unus pro multis. Vereor ut felix ei ſit pertinacia. Militem, Turcico more, exponit cædibus tanquam pecora, & fuſtibus in prælium cogit. Subſidium accepit 3600 Valonum ut vocat, & 2400 Germanorum. Tormenta ad oppugnationem habet parata 46, nondum tamen diſpoſita: nec audet, niſi prius intercluſo obſeſſis exitu adituque, quo illi hactenus utuntur libero, ad educendum militem vulneribus aut morbis inutilem, aliumque recentem inducendum. Hoc ut conſequatur foſſam aut aggerem

rem ducere aggreſſus eſt inter oppidum & propugnaculum Naſſovium. Obſeſſi auxiliis etiam aucti, ſeſe egregiè muniunt & ad extrema toleranda comparant, duo millia hominum extruendis novis intra oppidum munitionibus operam dant. Ad Dominum de Freſnes ſcripſi ante triduum Lutetiâ & jam jam ſcribo Genevâ: nec ceſſabo donec certi aliquid ab ipſo habuero. Clariſſime Domine vale & amicos à me ſaluta. Francofurto 19. Auguſt. 1596.

CXXXIII.

GRatiſſimæ mihi, ut ſolent tuæ omnes fuerunt, quas abs te accepi ſcriptas IX. Aug. De adjuncta iis ſchedula non eſt quod ſis ſollicitus. Ego verò Anglos multò magis culpandos cenſeo quòd pedem in Hiſpania non fir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ment, quàm quòd Maurorum utantur auxiliis. Scis, in latronem etiam canes incitari. Sed vereor ne animis virilibus puerilia conſilia perſequuti ſint. De Scoto invitato, Angla præterita à Dano non arbitror cauſam eſſe cur hæc ferat iniquius, cùm inter Scotum & Danum affinitas arctior intercedat. Hungarica ſollicitum me habent: Etſi enim premit nos validius Hiſpanus, tamen & periculum ab Turca ingens imminere nemo eſt qui non videat. Adeò quæ ubique pericula imminent, Principum conjuratâ quodammodo & fatali ſocordiâ imminent. Ad Hulſtum res dubiæ adhuc: & haud dubiè oppido potiturum Cardinalem plerique omnes affirmant. Humano ſanguine, ut taurino adamantes, franget duritiem obſeſſorum. Ajunt dicere illum certam mortalibus

mortem eſſe, non poſſe autem obiri eam pulchrius quàm pro Deo in hæreticos, pro Rege in rebelles. Burlotta, poſt Roſnium, ex vulneribus obiit. De pace & induciis quæ ſparguntur, nihil habeo certi. Sed ei poſtremæ quas à Rege habeo litteræ, planè adverſantur. Bullionium arbitror ex Anglia jam in Zelandiam trajicere paratum eſſe. Attamen ſi quæ habes de Mendozæ Legatione, ea ut me ſcire velis, vehementer peto, aliaque ejuſmodi. In negotio Domini de Freſnes quid præſtare ego præter verba & diligentiam in perſequendo poſſum? Deum teſtor, me ex quo apud vos fui nuper, ad viginti ad eum dediſſe litteras, in eam rem: nec recepiſſe verbulum: niſi quod non ita dudum ſcribebat ad me Caſaubonus, dediſſe ab eo ad me litteras, ſuis adjunctas, &
faſci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

faſciculum commendaſſe Junii Profeſſoris Argentinenſis filio. Sed eas ego nullus vidi, de quo Caſaubonum monui. Scribo vero & ſcribam in poſterum ſingulis ſeptimanis, alternatim Lugdunum & Lutetiam, nec abſiſtam niſi negotio ex ſententia confecto. Me vero diſpudet: & ſi poſſem, exſolverem de meo. Certum nomen eſt. Excuſa me quantum potes Domino Nutzelio, cui & vobis ad omnia paratiſſima eſt opera mea, merito veſtro Clariſſime Domine vale. Hulſtum tandem deditione in hoſtis poteſtatem venit: de quo proximis meis plura. Libelli quem in hac vicinia curavi exprimi, exemplaria miſi ad Dn. Calandrinum, è quibus unum accipies. Nervoſus eſt & dignus legi. Francofurto XXVII. Auguſt. 1596.

CXXXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CXXXIV.

NUllas abs te habui hâc ſeptimanâ. Ampliſſimum Dominum Furerum pridiè quàm diſcederet cognovi hic eſſe, cùm eſſem ablegando Tabellario Metenſi occupatiſſimus. Peto abs te ut me ei excuſes. De pace aut induciis inter nos & Hiſpanum multus ſermo. Ego vero nihil de iis habeo certi. Et Legati qui hîc fuerunt, quid egerint neſcio, niſi quod ajunt, dilatum negotium. ad iſtam Hiſpanicam pacem ego totus horreo. Et noſtri in Gallia Religioni addicti, Lauduni ad Turones convenerunt, Regis permiſſu. Inſpectus iis eſt Legati Pontificii adventus : & meritò quicquid Româ venit ſuſpectum ſit. Capita deditionis Hulſti, niſi vidiſti, leges à Calandrino noſtro. Compoſita ea ex arte, ad

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

conciliandos vulgi animos. Quid porrò tentaturus ſit Cardinalis dubium: quidam per præſidia exercitum diſponere, alii de Breda obſidenda cogitare ajunt: hoc vero poſtremum, mihi non perſuadeo. Lutetiæ & in Picardia atrociter graſſatur peſtis quæ ſe late ſpargit: & hæc contacta vicinia eſt. Eccleſia hæc noſtra valde afflicta eſt à Magiſtratu. Vereor ne Germaniæ Turcam Deus immittat, quem tribunitii Theologi præferunt Calviniſtis, ſaltim comparant. Vale Clariſſime Domine & ſalve cum amicis. Francofurto 3. Sept. 1596.

CXXXV.

POſtremas tuas reddidit mihi Calandrinus noſter. Libellum Gallicum probari tibi gaudeo, & Latinum exſtare, eſſet è re Eccleſiæ: de quo videbo. Sæpe in men-

tem

tem venit quod nuperrimè ad te ſcribebam, periculum eſſe ne Theologi veſtri, dum Calviniſtas Turcis æquiparant, Turcas in caput Germaniæ evocent. Nam iſtiuſmodi ſanè voces Deo diſplicent. Nos hîc ſævitiam experimur Theologicam. Quæ hîc feruntur rumoribus, exigua ſunt; niſi id fortaſſe quod ajunt detecta per Roſnii ſecretarium conjuratione, cuſtodiæ mandatos Mænium & Nemurſium, imo jam jam capite punitos. Sed ego id falſum omnino habeo. Namque omnis inter Hiſpanos & Mæniũ fiduciæ ratio ſublata eſt, niſi valde fallor. Comberlandius Comes cum quadraginta navibus mare repetit, impediturus è Belgio & Germania in Hiſpaniam negotiationem. Bullionius & Diepæ præfectus Chattus dicuntur ex Anglia ſolviſſe in Zelandiam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Fœderis cauſa. Ego pacem quam Principes & Ordines veſtri in Belgio conſtituere laborant, malè metuo. Nam illa una, Germaniæ libertatẽ funditus evertet, maximè ſi illud quod de Rege Rom. ſubindicas, acceſſerit. Sed ſint iſta curæ Principibus, debent ſaltem. Solmenſem qui Hulſtum dedidit, ajunt apud Ordines Hollandicos & malè audire & periclitari. Tabellarium Metis exſpecto, & alium ex aula, ii ſi quid attulerint, faciam ut ſcias. Vaudemontius, Lotharingiæ Ducis tertius filius, cum eleganti comitatu ad Regem noſtrum proficiſcitur, miſſu patris. Illuſtrem Dominum Comitem Ortenburgicum & Ampliſſimos Dominos Baumgart. & Nuzel. & fratrem filioſque tuos ſaluto officioſe. Francof. x. Sept. 1596.

CXXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CXXXVI.

POſtremæ tuæ ad me, ſcriptæ ſunt 3. Sept. ad quas an reſcripſerim ipſe dubito, tot hiſce diebus raptim litteras hinc inde dedi. Lentitudinem Domini de Freſnes quomodo excuſem non habeo. Scripſi ipſe ego nuper ad eum durius, & porrò ſcribam: & pollicerer confectum negotium, ſi excurrere in patriam daretur. Tu Dominum Nuzelium, quæſo, ad tempus mitiga, dum alia experior, certus exſolutum iri nomen hoc, in quo fidem meam & diligentiam præſtabo: Cladem Varanbono à Bironio illatam audiviſti. Copias Cardinalis quantas poteſt comparat: & Arſchotium præmiſit Legatum qui abſente ipſo rem gerat, ſubſequuturus ipſe. Ordines & militem ipſi cogunt, & Scotorum exſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ctant 200 & Anglos 2500 ſub Vero, & tormenta XV Dordraco eduxerunt. Noſtri omnia bello neceſſaria convehunt: & de Dourlani obſidione rumor eſt, quidā etiam de Caleto ſubmurmurant. Ego vereor ne tardius iſta ſuſcepta ſint. De Bullionii in Hollandiam trajectu nihil adhuc certi habemus. Per Calandrinum plura. Spargunt Angli ſcriptum quo enumerant fructus expeditionis Eſſexianæ: ejus hæc ſunt Capita præcipua. 1. Conſilia quibus Angliam Hiſpanus petebat, aut fracta eſſe aut dilata. 2. Potentiſſimi hoſtis intra ipſius muros periculum factum, & claſſem paratiſſimam atque inſtructiſſimam diſſipatam, ita ut ex ea multæ naves perierint, duæ maximæ quibus nomen Matthæi & Andreæ in Angliam deductæ, quibus oppugnari in poſterum ipſe

ipſe hoſtis poſſit. Earum ſtructuram conſtare ſupra 45. millia coronatorum. 3. Experientiâ cognitum multas Hiſpanicas naves ex iis quas Galeras vocant, uni Anglicæ pares non eſſe. 4. Liberatos captivos amplius mille. 5. XIII. dies terram hoſtilem Anglos tenuiſſe liberos, nec viſum hoſtem qui contra iret. 6. Naves tredecim hoſti periiſſe bellicas, & 44. onerarias, illas omni apparatu bellico, has precioſiſſimis mercibus inſtructiſſimas. 7. Urbem & munitam & ſitu commodiſſimam, & omni genere opulentiſſimam, deletam. 8. Corruptum aut avectum apparatum bellicum navalem qui in ea urbe multus erat. 9. Tot afflictum damnis hoſtem, neque neceſſaria Indicis provinciis ſubminiſtrare nunc poſſe, nec ab illis ſolitas opes accipere. 10. Mercato-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

res XII. millionum damno in navibus, totidem in urbe affectos. II. Militem Anglicum & ſucceſſu & prædâ divitem atque animoſum redditum, ad majora tentanda & aptum & promptum. Sed, ut dixi, de omnibus per Dn. Calandrinum plura. Vale Clariſſime Domine, & amicos iſtic omnes ſaluta à me officioſe. Raptim. XXVI. Sept. 1596.

CXXXVII.

HEri redditæ mihi ſunt tuæ ſcriptæ XIII. Sept. De Theologis, majori cum otio dicemus: & gratulor Senatui veſtro qui non ſinit abripi ſe tranſverſum non ſiniſ... ſinit abripi ſe tranſverſum eorum inſanis conſiliis. De Mæſnio, nugæ. In Arteſia rem uti geſſerit Bironius, cognoſces de adjuncta charta, & unà non eſſe nobis animum virtutemque: vires deeſſe animo pares. Legatus apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

nos Cardinalis Concilium Tridentinum valde artificioſe conatur nobis imprudentibus inſerere. Sed graves adverſarios habet Parlamenta & Epiſcoporum conſeſſum. Honorem ei pro more Rex exhibet: Sed perſuaderi ſibi quidquam alienum à commodis publicis non patietur, & opportunè noſtri Lauduni convenerunt, quos ad arma paratos oſtentare Cardinali poteſt, ſi quicquam ſtatuerit quod ſit libertati Religionis contrarium. Jam fœdus cum Anglis & Ordinibus, conſiliis iſtis Pontificiis omnino adverſatur. Ex eo fœdere ne quid omnino rerũ bello aut victui neceſſariarum in Hiſpaniam importetur ſeverè Angli & Ordines prohibent & naves ad id bellicas inſtruunt. Bironius exuſtis aliquot oppidis, prædâ onuſtus, cum magnis copiis adventa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

re Arſchottium vidit, retroceſſit ita, ut de inſequentibus hoſtibus duas turmas equitum ceciderit & eorum ſigna reportaverit. Ei brevi ſubmiſſum iri auxilia ſpero. Et dum certamus ſanguinemque Chriſtianum fundimus, Turca progreditur. Vereor ne fructus Hiſpanicæ ambitionis brevi Germania ſentiat. Vale cum amicis. Raptim. Francof. 30. Septemb. 1596.

CXXXVIII.

FAſciculum libellorum ad te dedi Domino Calandrino noſtro. Folietæ libros Wecheliani tradiderunt Kopfio. De negotio Domini de Freſnes neſcio quid dicam. Jam octo integros mēſes ſingulis fere ſeptimanis ad eum ſcribo, nec quicquam accipio reſponſi: quod mirari ſatis nequeo. Heri iterum & Lutetiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

& Genevam litteras miſi quas non dubito ad ipſum perventuras. Scripſi acriter ſatis, & indignanter. Me ſanè diſpudet: Nullam fore jacturam ſcio: Eſt enim re ampla, etſi illa, turbidis hiſce temporibus, non ſuccedit ex voto. Excuſationem Domino Nutzelio nullam amplius poſſum prætendere. Hoc ſolùm polliceri, non ceſſaturum, quin certi ab illo aliquid eliciam. Et ab ipſo Domino Nutzelio peto ut iterum ſcribere ad illum dignetur & ad me litteras mittere. Procemium quod exſcripſiſti ipſe, gratiſſimum fuit, ut omnia quæ à magno illo Camerario, & optarem adjectum libello Baſilienſi. Habeo igitur pro eo ſummas gratias. De rebus noſtris nihil addam aliud quàm VIII. Sept. fidem à Regina Angliæ in fœdus, Bullionium ſolemniter accepiſſe, & XVI. ſpem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

fuiſſe ſoluturum è portu Dourenſi aut Margatenſi in Zelandiam. Miles in Ang'ia parabatur ad nos mittendus, qui ubi advenerit, futurum in exercitu Regem ſperamus, quamvis à bello eum tenere proceres noſtri conentur omnino. Cardinalis, Bruſſellis Inſulas profectus eſt, ut Limiti ſuo conſulat & in nos moliatur aliquid. De Mendoza miror tantum eſſe ſilentium. Illuſtrem Dominum Comitem, niſi moleſtum eſt, & Ampliſſ. Dn. Baumgartnerum ſaluta à me officioſe, & fratrem atque filios. Pro novis miſſis habeo gratiam. Spero nihil magnum hoc anno Turcam effecturum. Parva manu fruſtra fuerit, magnam alere non poteſt. Scribæ quem mihi conciliaſti, ſatisfaciet nomine meo Dominus Calandrinus. Debeo & hoc tibi inter alia multa, quòd vulgaribus

iſtis inſtructus ſum. Referre gratiam conabor. Clariſſime & amiciſſime Domine vale. Francof. 3. Oct. 1596.

CXXXIX.

SCripſit ad me Ampliſſ. Dominus Nutzelius ſatis duriter. Ego ei reſcribo ſatis liberè. Abſolvere ego Dominum de Freſnes non poſſum, nec etiam excuſare. Sed non ideo accuſandi ſunt omnes. Si unius culpa omnes inficit: fides unius atque integritas, omnes abluit. Exceſſi & ego è Germaniâ alieno ære oneratus: ſed ut aliquid domi tranquillitatis apparuit, prima mihi fuit ſummaque cura, liberare me quovis pretio. Feudum, cujus nomen mihi agnomen erat, infra dimidium juſti pretii vendidi, iniquiſſimo tempore, ne cum ſuo incommodo cogerentur viri boni meum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

meum exſpectare commodum, qui me egentem facultatibus ſuis adjuverant. Et omni ære, cum creditorum meorum bonâ gratiâ, ſolutus ſum: Dei benignitate. Coëgit me hoc epiſtolâ ſuâ Dominus Nutzelius commemorare invitum. Sunt & alii quibus eadem fuit cura. Si in eo Dominus de Freſnes negligentior fuit, ejus nomine nos accuſari nimis iniquum ſit. Reip. Norinbergenſis in nos publicè privatimque ſtudium agnoſco & prædico lubens: opibus eorum adjutos nos, benignè & lautè & cum honore habitos à Senatu: & parata erit ipſis publicè privatimque ſemper omnium honorum & in iis mea opera: nec Rex, ut ſpero, ingratus erit. Ego certè & Domino Nutzelio & aliis Noribergenſibus ſi quando inſervire potero, non committam ut fides unquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

mea atque opera improbetur. Tuam vero & Clariſſimi fratris tui humanitatem explicarem atque extollerem, niſi ad teipſum ſcriberem. Et probare me vobis quàm prædicare malo. Sed hæc aliâs. De Agria, quod ſcribitis, video litteris Auguſtanis in dubium revocari. Sed ego, ne nimis verum ſit, valde vereor, ex noſtri exercitus lentitudine, qui cum Varia moviſſet 4. Oct. & 8. adjūctus aliis eſſe debuiſſet, 12 vix attigerat ſuperiorem Hungariam. Sperabam Tranſilvani promptitudine & alacritate, excitatum alios iri, & cladem inferri hoſti poſſe. Hiſpanicam claſſem parari rumor undique conſtans: ego aut noſtræ Britanniæ aut Hiberniæ metuo. Sed ſcripſi, ni fallor, poſtremis meis in Britanniam de pace legatum Schonbergium. Cardinalis locis commodis ad

no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

noſtrorum progreſſus impediendos, copias diſpoſuit: ſed 2000 peditum & 400 equites in Atrebatum ſuburbiis hærent, foſsâ valloque muniti. In urbe verò, ex ruſticæ turbæ concurſu, mortalitas ingens. Noſtri, in agro Atrebatenſi adhuc regnum obtinent. Sed dicitur Cardinalis ingentem vim auri exſpectare: & jam præfectos conſcribendo pediti Germanico conduxiſſe, Mauricium Saxonem, Eduardum Badenſem, & Schleyer, alios indictos: & Alfonſum Davalos ablegare in Italiam eidem rei. Bullonius adhuc in Hollandia: & de navigationis inhibitione nihil adhuc certi conſtitutum: etſi eò inclinant Ordines: ſed validè mercatores contra tendunt. Mauricius, cùm de occupando Hulſto non ſucceſſiſſet conatus, Bredam ſe recepit, & militem cogit. Deſcriptionem
ſitus

itus Agriæ accepi, & pro ea gratias habeo. Tuas curavi reddendas Kopfio. Ad Putkameri litteras reſponſum addidi litteris ad Waldenfelſium, quas commendo Domino Calandrino noſtro. Illuſtri Domino Comiti & Domino Baumg. fratri & filiis tuis officioſam ſalutem. 5. Octobris, 1596.

CXL.

Tandem in Hollandiam appulit Bullionius, ingreſſus Hagam xxv. Sept. magnificè ubique exceptus. Gratus ejus adventus Ordinibus, qui à pace Hiſpanica alieniſſimi, nihil niſi bellum ſpirant. Noſtri nondum exceſſerant Arteſiâ, receptaculum iis oppidum cui nomen Pas; & Hiſpanicas copias ultra Atrebatum civitatem profligarant. Accuſant Hiſpani Belgas, quòd

teme-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

temeritate ſua rem ſummam in periculum adducant: hi Hiſpanos quòd ignaviâ ſocios deſerant. Varembonus dicitur cum captivis aliis Lutetiam deductus. Rex Anglica auxilia exſpectat: & Ordines alia ſubmittent: miror quid ſub hyemem cœpturi. Habes, quicquid hîc ego habeo. Præfationem nomine Aleſii à maximo viro conſcriptam relegi. Placuit aſpecta, perplacet inſpecta penitius. Et velim excuſam cum libello de diſſidio, & diſputatione Latina quæ libello Græcarum precum eſt præfixa. Libellum Gallicum quem miſi curabo ut Gallicum videas, quamprimùm certa mihi ſedes. Idem argumentum exſpecto expoſitum magis ad populi captum. Illuſtrem Dominum Comitem, Ampliſſimos Dominos Baumgart. & Nutzelium, & fratrem filioſque ſaluto officio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

officioſe. Vale præſtantiſſ. Domine. Francof. VIII. Oct. 1596.

CXLI.

Litteras tuas ſcriptas Kal. Oct. heri accepi ſub noctem. De Agriæ obſidione idem me metus habet. In ea tamen ſpe ſum ſi Tranſylvanus Maximiliano acceſſerit, rem ad prœlium deventuram, in qua vix puto conſiſtere Turcas poſſe, ſi ita nudi ſunt & inermes, ut fertur vulgi ſermonibus. Sed mirum mihi & novum omnino accidit, quod præterito Tranſylvano, ita mediam ferè in Hungariam Turca proceſſerit, unde, noſtri ſi viri ſunt, ſalvus numquam recedet. Omnino ſum in ſpe bona. Sed ecce dum in viſceribus Hungariæ graſſatur ille hoſtis, nos nihil niſi bellum inter nos cogitamus & ſpiramus. Hiſpanus naves omnes quotquot in

por-

portubus aut ſtationibus Hiſpaniæ deprehendit, detinet: Nautas adigit in ſua verba. Noſtri ducem nacti Bironium, Arteſiam vaſtant & exurunt: & Hiſpani cum exercitum ad Civitatem Atrebatum ita obſervant, ut nemo prodeat ſine ſuo præſenti periculo. Cardinalis, ut partam tueatur gloriam, ſe comparat, & vires colligit. Ordines ab Hiſpanica prorſus alieni pace, & ipſi bellum apparant, quod videtur & grave futurum & diuturnum fore. Bullionius Hagæ erat adhuc tertio hujus menſis, & ſpem habebat reportaturum ſe quod peteret. Vix enim nos, abſque illa conjunctione; nullo autem modo ordines ſalvos eſſe poſſe. Magnis viribus opus eſſe ad repellendos Hiſpanicos conatus: cautelâ verò etiam majori, ad evitanda conſilia & captiones: Et novum quid

in

n Germania agitare Hiſpanum
uſpicor,ad quod vereor ne veſtri
rincipes nimis ſint ſecuri. Mi-
es Ordinum ad Bruſſellenſes uſ-
ue portas excurrit, & ipſo Car-
inali ferè intuente, exuſſit agre-
ium atque nobilium domos, &
rædam egit magnum:quod, juſ-
u Cardinalis, Contributiones ſo-
tæ negarentur. De Auranii nu-
tiis cum Clivenſi Sybilla ſer-
iones: eò Bergam ad Rhenum
xcurriſſe:alii congreſſurum ajunt
um ſorore Hoheloïa. Libellum
odini miſſum Lutetiâ cum his
ecipies: & redditos tibi arbitror
bros alios quos commiſeram
Domino Calandrino noſtro. Pro
s quæ mihi de Ungaricis curaſti
xſcribi, habeo gratiam: & in eo
t acuere ſcribæ diligentiam velis
ro. Ampliſſimos Dom.Baumg.
c Nutzelium fratrem & filios ſa-
uto officioſè. De Conventu Am-

bergen-

bergenſi proximis tuis aliquid no
cogniturum. Vale Clariſſime Do
mine. Francofurto 15. Oct. 159

CXLI.

AGit in Hollandia Bullionius
ut navigatio in Hiſpaniã om
nis inhibeatur: neve in hoſtilẽ ter
ram importare quidquam cu
quam liceat. Hoc vero conſtitue
re cum penes Ordinum Senatum
non ſit, ſententiæ civitatũ exqui
rendæ. Id Bullonium in Hollan
dia moratur, & cum eo Aurelium
Noſtri in Arteſia, ſimulato rece
ptu, inſequentem hoſtem, in Atre
batenſis civitatis ſuburbia cum
clade compulerunt: & vaſtare
omnia pergunt. Rex Rothomag
eſt & cum eo Comes Scherosbe
rienſis. Anglicum militem traje
ciſſe ad nos vulgo ferunt: id ſi
ita habet, non dubito quin brevi
futurus ſit Rex in exercitu. Præſi-
diarii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

iarii Bredani & Bergenſes miliꝫes præda divites ad ſuos redieꝫunt. Calamitatis ſuorum ſpectaꝫor fuit Cardinalis ipſe, ob negaꝫa tributa. Aurangius in colloꝫuium venit cum ſorore: Injiciet ꝫle ſine dubio de pace ſermoꝫem, à qua alieni prorſus Ordiꝫes. Peſtis contagium nos hic leꝫiter tangit, graviter infecta viciꝫia Dermſtatenſi. Clariſſime Doꝫine vale. Francof. Raptim. 22. Octob. 1596.

CXLIII.

REddita mihi tuæ ſunt ſcriptæ XII. Oct. cum pagellis imꝫreſſis, pro quibus habeo graꝫam. Paſſeratii carmina curabo ꝫt habeas, poſtquam in iis edenꝫis moram facere hominem viꝫeo. Heri exemplum accepi liꝫelli novi Lutetiâ: cui titulus Phæꝫri Auguſti liberti Fabularum Æſopi-

Æſopicarum libri v. unicu
exemplum : aliud in nundinis a
ceperam à P. Pithœo qui edid
ex bibliotheca fratris , ſed id v
inſpectum mittebam ad amicu
hoc mihi liceat perlegere , in
primâ occaſione ad te mittam. E
legans eſt libellus & politus ſi qu
in eo genere alius ; & natus flo
rente Latinâ linguâ . Venio a
publica. Quæ de Cardinali Le
gato ad nos ſcribuntur ex Italia
nugas arbitror. Nam ille Lu
tetiâ jam multas ſeptimanas pe
dem non extulit : Lutetiam ver
Rex non acceſſit. Et ad me ami
cus ſcribit, Bonum eum videri vi
rum & ſtudioſum pacis reiqu
Gallicæ. Rex ad xi. hujus Ro
thomagum ingredi debebat ſol
lemni pompa : Scherosberien
ſis eò advenerat comitatus 260
equitibus. In urbe ſuſpicio de pe
ſte videbatur Conventum Melda

(Meaux)

(Meaux) tranſlatura. In eo con-
entu inter alia in Quæſtores, qui
egni hirudines ſunt, inquiren-
um ajunt ſeverè : & eorum jam
nulti paſſim officiis ſuſpenſi ſunt.
Cum Mercorio pacem futuram
pes eſt : Legatus ad eum Schon-
ergius & cum eo Thuanus Eme-
ius auctor editorum quorundam
erſuum quæ mittere me olim ad
e memini. Legatus à Sabaudo
othomagum advenerat, de pa-
e etiam acturus ni fallor. Noſtri
omines qui reformatam Reli-
ionem profitentur, non eodem
cum cæteris jure eſſe valde con-
ueruntur, & dicti à Rege viri
rimarii qui de eorum poſtulatis
ognoſcant : inter quos Coneſta-
ilis, Cancellarius, Belieureus, Vil-
roy, Sillery. Cum Bullionio
Hollandia hodie tranſactum
bitror : advenerant 18. hujus
enſis Zelandicarum urbium le-

gati

gati ſententias ſuorum de naviga-
tione in Hiſpanias inhibenda edi-
turi. Sed ſperat ſe Bullionius om-
nia ex ſententia confecturum. Bi-
ronius Arteſienſi agro adhuc in-
ſiſtit: & nuper 400 equites fudi-
cepit plurimos. Idem in Flandri-
Angli & Zelandi, in Brabanti-
Hollandi cogitant. Mihi Cardina-
lis iſta lentitudo ſuſpecta eſt. Va-
& ſaluta à me amicos. Franco-
penult. Oct. 1590.

CXLIV.

PRomiſſum tibi nudius tertiu-
libellum, accipies cum tribu-
hiſce verbis. Nam, quid ad illa-
meas addam non habeo. Has ve-
ro reddet tibi Pleſſæus noſter-
Hoſpes meus editionem para-
partis alteræ Rerum Hungarica-
rum in qua auctores hiſtorici &
geographici varii. Si quid habe-
in ampliſſima bibliotheca tu-
quod

quod juvare Remp. poſſit, (& quin habeas non dubito) peto abs te ut communices. Pars prior illa eſt quæ Bonfinium, Ritium & Sambuci appendices continet. Sed de rebus Turcicis commentarium parentis quare premis tam diu? Adjunctum faſciculum Monavio ut cures, commodo tuo, valde abs te peto. litteræ in eo ab amico, fidei meæ commendatæ. Illuſtr. Dn. Comitem & Ampliſſimos Senatores veſtros, Clariſſimoſque fratrem & filios ſaluto officioſè. Vale. Francof. ult. Oct. 1596.

CXLV.

TUas accepi quibus erant adjunctæ Peuceri: ad has reſpondebo proxima ſeptimana: & ad tuas quid referam vix habeo. Actum profectò eſt de Rep. Chriſtiana, niſi alias Principes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ineunt rationes adminiſtrand publica. Nolo tamen omnino deſperare, quin adhuc pretium operæ exercitus tres conjuncti facturi ſint. Tantas enim conveniſſe copias ajunt, quantas memoriâ noſtrâ. Et ſi re infecta abierint, non video quo ſe modo excuſare duces poſſint. De Legato Anglico quod & tu ſcribis & Venetis litteris ſignificatur, mihi valde eſt novum & de eo certiora à te exſpecto. Sed Cardinalem de Legionibus aliquot conſcribendis cogitare conſtat: & inter præfectos numerantur Eduardus Badenſis & Mauricius Saxo. Durlanum à noſtris obſeſſum iri ſuſpicio eſt. Cardinalis vereor ne monſtri aliquid alat: de Oſtendæ obſidione quidam ſubloquuntur. De inhibitione navigationis in Hiſpaniā nihil dum certi, quamvis affirment depreſſas ad Texel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

inſulam Hollandicam, naves quatuor frumento onuſtas, juſſu Mauricii comitis: quod vix factum niſi jam certum eſt Ordinibus arcere ſuos navigatione illa. Sed & qui inde magnus fructus exſpectandus ſit, plerique viri prudentes ajunt ſe non videre. Sed de his brevi pluribus. Indicem auctorum ex quibus conficienda eſt pars altera rerum Hungaricarum ad te mitto. Peſtis hîc ingraveſcit: & infectam habemus viciniam: mihi principia tantum videntur majoris mortalitatis. Vir Clariſſ. vale. Francof. XII. Nov. 1596.

CXLVI.

QUas ad me tertio Novembr. dediſti, eas accepi hîc 22. ſtilo noſtrati. Calamitoſa ſunt & periculi plena quæ ex Hungaria nuntiantur. Sed videtur in Tran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſylvano aliquid ſpei ſupereſſe. Det
Deus, ut non fallat. Bullionium
ex animi ſententia negotium in
Hollandia confeciſſe, cognoviſſe
te non dubito. Induciæ noſtræ
cum Sabaudo in trimeſtre pro-
tractæ. Cum Mercorio ſpes pa-
cis jactatur: quæ jamdiu nos te-
nuit. Sed Hiſpanicam claſſem in
Hiberniam & in vicinam Angliæ
& pœnè adherentem inſulam
Wicht exſcenſum parare ajunt.
Sed & hæc & alia infra dies pau-
cos, coràm. Ampliſſimos Domi-
nos Baumgartnerum & Nutze-
lium officioſè ſaluto: huic, niſi
moleſtum eſt, confirmabis non
eſſe magis cuiquam Freſnianum
negotium curæ quàm mihi: &
hinc ante diſceſſum ſcribam etiam
cum ſtomacho. Vale & ſalve ite-
rum cum familia tua & fraterna.
Raptim Argentorato 24. Novem-
bris 1596.

CXLVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CXLVII.

TEnet me hunc diem valitudo mea, & teneret ſanè diutius niſi eam poſt haberem Aurelio noſtro. Titillationem ſentio moleſtam in pollice pedis dexteri. Medicorum filios ſi auſcultem, podagram dicam. Horrendum nupturienti nomen. Sed quidquid ſit, pedibus teneor: & ambulandum tamen eſt. Igitur, etiam ſine pedibus, cras, bene volente Deo, iter ad vos ingrediar. Et ne inanis omnino ad te hæc eat epiſtola, addidi orationem quam dicunt Regis eſſe. Eam Latinè exſcripſi raptim, quæ apud te manebit; Eſt enim rudi Latinitate expreſſa: & ab elegantia nativa longè abit. De Fabulis ſcribo ad Pitlæcum, ſiquid forte velit additũ: nam aliâs libera nobis eſt editio. Scherbii quæ miſiſti legi

lubens & ad noſtros mitto. Kopſius dicit ſe ſcripſiſſe ante octiduum. Urgebo adhuc hominem ſiquid mihi litterarum dare volet. Alia coràm. Sanum te & valentem & tecum familiam fratremque opto: & amicis omnibus ſalutem. Francofurto 4. Decembris. 1596.

CXLVIII.

NIhil habeo quod hinc ſcribam, niſi ſalutem à me & à Domino Aurelio. Biduum adhuc hîc nos Locus tenebit aut triduũ. Hinc verò, quò nos converſuri, incertum: niſi certum hoc mihi, rectà, ſi qua fieri ratione poteſt, ad Dominam. De publicis rebus rumores & narrationes exſpectamus à vobis: & ſi quid nos habuerimus in faſciculo litterarum quem ut ſpero hic Tabellarius allatum Francofurto ad nos referet, id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

d ante diſceſſum ad vos perſcribam, & unà mittam litteras quas petiiſti commendatitias Clariſſ. Dn. D. Philippi filio. Altorfium quod excurrere non licuerit ſanè doleo, & ſalutare ibi & Scipionem noſtrum & Ritterſchuſium. Quod nuper dixi, repeto, ſuadere me ut Phædro addatur Avienus, in quẽ, ni fallor, habeo Argentinæ lectiones ex manuſcripto varias, quas inde curabo ad te. Excellenti humanitati tuæ quibus verbis meritas agere gratias debeam non reperio. Animo reque ipſa devinctum me tibi habes tuiſque: & ad omnia paratiſſimum. Valetudinem tuam ut diligenter cures, vehementer abs te peto. Ita feſtinanter diſceſſimus à vobis ut te unum cõpellare licuerit. Quæ tua eſt humanitas, cum erit commodum, excuſa nos Illuſtri Domino Comiti & Ampliſſimis Dominis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Baumg. & Nutzelio & Clariſſimo fratri: iiſque & filio ſalutem à nobis officioſam dicito. Onoltsbachio. 27. Decemb. 1596.

CXLIX.

ITa primo adventu meo & litteris & negotiis variis hîc obrutus ſum, ut vix reſpirare hoſce dies licuerit. Faſciculus mihi tuus redditus eſt. Habeo pro edito ſcripto gratias, miſi id ad Dn. de Saury addita ſalute abs te. Conventui Rothomagenſi finem impoſitum eſſe cognovimus: ſed quo fructu, nondum: niſi quod remotæ ſunt ex aula hirudines pecuniariæ, nos Financieros vocamus: quarum nos multitudo ut agrum locuſtæ depaſcebat. Et Euangelicis noſtris libertas major quàm antea conceſſa. Sed hæc brevi plenius. Britannia nondum pacata erat ad diem XV. Dec.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Sed intra paucos dies Mercorii ſententia exſpectabatur. Agebant cum eo Schonbergius, Pleſſæus, Thuanus & Rochepotius. Sed & Sabaudica pax adhuc dubia: & belli ſuſpicionem auget revocatus in Burgundiam è Picardia Bironius, ſi rumoribus credimus: quod vix facio. Utilis enim ejus in Picardia opera. Ad Regem ſalvus rediit Bullionius. In Hiberniam miſſus Vicerex è numero Procerum Boros, & cum eo Primarii duo alii, qui cum rebellibus pacem tentent. Adminiſtrator noſter febri laborat quæ ex quartana in quotidianam verſa: Ad nuptias eum vocat Rex Poloniæ Stockolmium. Waldenfelſium hîc habemus cum Schlibio, & Legatos præterea ab Electore Palatino. De veſtris in Turcam apparatibus nihil hic audimus: ſed neque de conventu. Hiſpanus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

naufragas vires dicitur reparare. Quàm ego tandem Angliæ malè metuo ? Memorabilis tamen Hiſpani cujuſdam vox illa, ad nuncium cladis ſuæ: *Dio hable & no intendiemos.* Deus loquitur, inquit, & nos non audimus. Sed quoties Ille & nos alloquitur ſurdos? Quæ ipſius ſunt, nobis adſcribimus ingrati. Sed miſeratur Ille omnium noſtrûm. Saracenus Medicus Genevenſis editionẽ parat Dioſcoridis, ut mihi hac hora Aubrius retulit, qui memoriam mihi refricavit & hiſtoriæ Turcicæ maximi parentis tui, & Voluminis rerum Hungaricarum, ad quod, ni fallor, contribuere aliquid cogitabas. De Avieno ſcribam cum primum licuerit libros meos excutere. Vale Clariſſ. Domine cum Illuſtri Domino Comite & Ampliſſimis Dominis Baumgart. & Nutzelio, Clariſſ. fratre & filio & ſalve

ſalve à Domina mea plurimum. Argent. XVIII. Jan. 1597.

CL.

ITa me totum dolor occupavit, ut nec mens nec manus officium faciat. Et vim mihi ipſe facio, ut reſpondeam iis quas ad me dediſti ſcriptas 10. Jan. Excuſabit ſilentium meum & harum brevitatem humanitas tua, quæ caſus hujus, quo concidi, gravitatem non ignorat. Spes mihi meæ omnes ereptæ, vis omnis vitaque extincta: me denique ipſum in meipſo requiro: nec ad me redeo niſi ſi quando lentè & rarenter ad omnium noſtrum auctorem parentemque cæcutientes tenebricoſæ mentis oculos attollo: Et ab eo uno ſoloque melioris vitæ ſpem peto. Sed nolo tibi moleſtiam facere importuna ſcriptione. Amorem tuum ſerva afflicto.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

De Condæi morte falſo ad vos perlatum: & de inimicitiis Regis & Sueſſonenſis nihil omnino ad me noſtri: ſi quid ſit, leve eſt. Fructum è conventu Rothomagenſi exſpectamus aliquem: præcipuus conatus fuit in re pecuniaria explicanda, qui utinam felix ſit. Euangelicis noſtris melius fore ſperamus. Vaudemontius minimus natu inter Lotharingiæ Ducis filios, poſtquam ſpe excidit nuptiarum Joyeuſæ quæ dicta eſt Monpenſerio, unicam filiam Pauli Salmenſis Comitis uxorem ducit. De Conventu & rebus Hungaricis perge communicare mihi quæ habebis: & me miſerum amare. Argentinâ, IX. Febr. 1597.

CLI.

HEri redditæ mihi tuæ ſcriptæ 23. Ian. cum Ritershuſii carmine

mine eleganti ſane & docto. Velim reſpondere exactè: ſed non patitur dolor, ni omnino imparem me eſſe agnoſco fateorque. Et probabit, quicunque jacturam meam æſtimabit ſuo pretio. Habeo tamen quas debeo gratias & ob illud carmẽ tranſmiſſum & ob narrationem de publicis rebus. Hîc quæ turbę exortæ ſint, abſque dubio cognoviſti: & vereor ne magnum ex iis malum in publicum redundet. De noſtris nihil habeo certi: niſi quod ſpero excitatum iri exemplo Mauricii comitis. De convivio quo narras exceptum Mauricium Saxonem & Badenſem à Cardinali, habeo interceptas litteras in quibus hoc amplius, adfuiſſe Nuncium Apoſtolicum, Aumalium & Aurangium: ſelecti ſanè homines, inprimis Trias illa Saxonis, Baden- & Aumalii. Excuſa, te obſecro:
ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ita dejectus ſum animo, ut nec vires corporis conſtent. Dominus de Freſnes pertinaciter ſilet. Tuas miſi ad Caſaubonum & meas addidi ſanè vehementes. Tu vero vale cum amicis iſtic omnibus. Argent. 16. Febr. 1597.

CLII.

EXcuſa, quæſo, ſilentium meum: ita me afflictum dolor tenet, ut erigere aut allevare caput jacens vix poſſim. Et reperio quidem aliquando quæ avocent pauliſper à luctu animum; quæ liberent, fruſtra quæro. Dum nuper Senecæ ad Polybium conſolationem lego, de Phædro noſtro cogitationem renovavit locus iſte: *Non audeo te uſque eo producere, ut fabellas quoque & Aeſopeos Logos intentatum Romanis ingeniis opus, ſolita tibi venuſtate connectas.*

Ego

Ego verò Phædrum ætate ante Senecam eſſe, aut certe non poſteriorem, una mecum Riterſhuſium veſtrum judicaturum confido: cùm nondum floridum illud, quod ſub Cæſaribus, ſcribendi genus Romana ingenia occupaſſet: ſed nativâ elegantiâ eloquentia conſiſteret. De Avieno explicare libellos meos nondum licuit. Sed ut Phædrus Avienũ nobis ſuggeſſit: ita Avieni ipſius fabulæ, alia ejuſdem opuſcula in memoriam revocarunt. Ejus exſtat Orbis terræ deſcriptio, exſtat deſcriptio Oræ maritimæ: hoc poſterius habeo ad manuſcriptum exemplar emendatum. Exſtat & ejuſdem Aratus. Vide verò tu cum Ritershuſio, num operæ pretium futurum ſit conjicere unum in volumen Cœlum terramque. Conferam ego, ſi qui ſit qui elaborare velit, Germanici Cæſaris Aratum
aliquot

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

aliquot centenis verſibus auctio-
rem, atque aliâs emendatiorem
& ad illius ipſius Avieni oram ma-
ritimam, Varias lectiones. Co-
gitabis tu, & cenſebis cum doctis
iſtic amicis, in quibus Scipioni
noſtro & Ritershuſio multam ſa-
lutem. De publicis ſiquid exſpe-
ctas, dicam quæ habeo. Exivit
conventus Rothomagenſis ineun-
te Februario: quid conſtitutum
in eo, nondum planè conſtat, niſi
quod juſſi Vrbium provinciarum-
que præfecti, præſidia dimittere
quibus Regni media tenebantur;
arces etiam, nidulos tyrannidis,
urbibus inædificatas diruere: ſal-
vis illis ſolis quæ ad limites. Com-
parcendæ hoc pecuniæ, ſed &
conficiendæ, rationes aliquot ini-
tæ. Reformatis noſtris conceſſa
quædam de iis quæ petebant: in-
ter alia, ut certis locis, quæ fidei
publicæ & ſecuritatis pignora te-
nent,

nent, retinere præſidiarium mili-
tem Regiis ſtipendiis liceat. Con-
venerunt Vindocini, Rege volen-
te, excepturi mandata Regia, &
porrò conſulturi rebus ſuis. Rex
Rothomago iter ſuſcepit ad Por-
tum quem vocamus Gratiæ, inde
limitem viſurus Picardicum & Lu-
tetiam tandem ſeſe recepturus. Sa-
baudus iterum pacem urget & Le-
gatum in aula habet. Mercorius
ſublata ſpe pacis, bello utrimq; in-
dicto, neſcio quo motu, mutato
conſilio, inducias protrahi petiit:
de pace ſeriò acturus. Factum. &
Biturigas, profectus eſt Schonber-
gius, pacem cum illius legatis Re-
ginâ viduâ ejus ſorore præſẽte tra-
ctaturus. Bullionius Turenam pro-
fectus cum uxore, ſub finem Mar-
tii rediturum ſe recepit. Peſtis Lu-
tetiæ, per pluviam illam tempe-
ſtatem, nondum prorſus remiſit.
Vaudemontius, tertius Lotharin-
gico-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

gicorum fratrum, Salmenſem ducit uxorem, eorum qui in Lotharingiâ unicam. Habes quæ ego hiſce diebus ab amicis. Salutem officioſam dico Illuſtr. Domino Comiti, Ampliſſimis Dominis Baumgart. & Nutzelio &c. Clariſſimis fratri & filio. Argentinæ raptim, Kal. Mart. 1597.

CLIII.

POſtremas tuas ſcriptas 16 Februar. accepi Argentinæ, amicas ſanè & pias. Et tibi & amicis iſtic omnibus gratias habeo quas debeo pro illo in me egregio affectu, quo in partem venire illis placuit doloris mei: cui modum ratio imponebat excitata alloquiis & litteris amicorum cùm rumor de Ambiano ab hoſtibus occupato me iterùm afflixit, ſanè gravius. Sed dubius adhuc, utinam falſus, de eo itaque nihil addo amplius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

amplius. Ordines Belgici Arnemii in Geldria conveniunt: non ſine ſuſpicione, magnum quid eos agitare. Scripſi Argẽtinâ ad te copioſius. Nunc excuſabis brevitatem: quam proximis compenſabo. Vale Clariſſime Domine & amicos à me omnes ſaluta officioſè. Francof. 24. Mart. 1597.

CLIV.

COmpacto jam faſciculo binas tuas accepi ſcriptas 12 & 3 hujus menſis. Litteras quas tibi oſtendit Waldenfelſius interceptas, eas à nobis habet: & apud Regem ſunt autographa. Ego vero conſtitueram de iis ſcribere ad Senatum veſtrum: ſed prius communicato cum Dn Aurelio conſilio, quem cum has ſcribo vobis adeſſe arbitror. Præteriit me petere abs te quid cauſæ eſſe poſſit ob quam Vellus aureum recuſaverit

Vamo-

Vamoſcius. Ritershuſium ſalut
quæſo à me. Reſpondere in ha
tabellarii feſtinatione non poſ
ſum. De publicis rebus habebi
à me proximis aliquid. Nunc quo
ipſe judicium meum vertam, ſan
neſcio. Vale Clariſſime Domin
& me ama. Francofurti 28. Mar
tii. 1597.

CLV.

FAſciculum tuum accepi cum
litteris ſcriptis 6. Martii. Et pro
tranſmiſſis ſcriptis habeo gratiam.
Scherii ſcriptũ legeram, ſed exem-
plum non retinueram: ipſe verò
Scherius miſſurum ſe promiſerat.
Nunc tuâ operâ illum hoc labore
libero. De Ambiano etſi nimis
verum eſſe conſtat, ſuperſedeo
ſcribere donec litteras ſuper eo
ab hominibus noſtris habuero.
Serrani hiſtoriam editam non ar-
bitror, niſi epitomen Regum pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

mæ familiæ Francicæ, quæ olim prodiit Aurangii. Sed audio ipſum auctum hiſtorici Regii titulo, & ſtipendio. Quid autem exſpectari ab iſtiuſmodi genere hominum debeat qui mercede conducti hiſtoriam ſcribunt, tu ipſe judica. Ridiculi in eo ſunt & Principes & mercenarii illi ſcriptores. Nam illo ipſo titulo profitentur ſe ad mendacia coëmptos. Et Serranus, quantum de viris bonis audio, mihi enim non niſi de Platone ſuo notus eſt: in quo ipſo non induxit Ficinum: homo eſt inſignis Theologicis virtutibus Cardinalibus, Avaritiâ, Ambitione, Audaciâ, & ipſe Theologus, miniſter verbi: quod alienum omnino eſt à ſtipe illa hiſtorica. Litteras tandem habemus à D. Fraxineo curante Caſaubono noſtro. Excuſat ſe multùm & certam ſpem facit exſoluturum

turum
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

turum ſe brevi & ſatisfacturum
Mallem ipſam rem quàm ſpem
Attamen iniqua valde ſunt tem-
pora & certum nomen fore con-
fido. Litteras hic habes ab eo ad
Ampliſſ. Dom. Nutzelium. Am-
pliſſ. Dom. Baumgart. & Clariſſ.
Dominis fratri & filio ſalutem of-
ficioſam. Raptim Francofurti, 28
Mart. 1597.

CLVI.

TErnas ad te dedi ex quo huc
veni: & accepi abs te ternas.
Rittershuſio reſcribo & litteras
commiſi Adoleſcenti huic Ru-
pellano, quem valde mihi ab ami-
cis commendatum, ut humani-
ter, qui tuus eſt mos, excipias, iti-
dem valde abs te peto. Rex eſt ad
Ambianum, cum nonnulla ſpe
abolendi inſigni aliquo facinore,
acceptam infamiam: Rem certè
magno animo aggreditur. Deus
modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

modo adſit, qui ſolus auctor & pater boni eventus. Civium magna ſanè fuit ſocordia & inſolentia, cùm paullo antè 2000 Helvetiorum recuſaſſent quæ ut in ſuburbiis excubarent Rex ſubmiſerat. Vim fieri privilegiis ſuis clamitabant, qui libertatem ſuam, fortunas famamq; tam fœdè proſtituerunt. Coloniæ neſcio quid turbatur: de quo proximis certius: ſed & ad Argentoratum titubatur metu militis & Italici & Belgici qui iſtic dicitur convocatus, inde in Hungariam profecturus. Metis neſcio quæ etiam ſuſpicio aut metus tumultus, ob Reformatæ Religionis exercitium in urbem Regis juſſu inductum: & jam, ut ajunt, graves ob cauſas revocatum. Sed de eo nondum mihi planè conſtat. Scio graviter tumultuatos Pontificios, quædam etiam adduxiſſe in medium quæ

cau-

cauſam præberent Regi amplius cogitandi. Sed & de his proximis prolixius & certius. Vale & amicos à me ſaluta officioſè. Francof. raptim. 3. Apr. 1597.

CLVII.

VLtimæ tuæ ſcriptæ erant 21 Martii. Ex quibus judicia de Rege veſtra cognovi. Sed is certè ab omni culpa liber eſt. Neque enim nolentibus Ambianis imponi præſidium licebat & miſerat ad eos Rex paullo ante 1500 Helvetios, qui in eorum ſuburbiis excubarent, addito periiſſe peſtilentiâ multos civium, nec jam tam vicino hoſti ſufficere reliquos. Sed hi privilegia ſua oppoſuerunt. Rex & altero ſtatim die ad urbem adfuit, & ejus ita omnes aditus obſepſit, ut nemini egredi liceat aut ingredi: & multati malè ſint quidam qui prædæ par-

partem ſuam efferre urbe tentaverant. Et omnino totus in id Majeſt. ejus incumbit ut inſigni aliquo facinore jacturam hanc aut ſarciat aut elevet: & tantus eſt in caſtra omnium cujuſvis conditionis concurſus, tantus ardor, ut benè ſperare audeam. Deus adjuvet. Ego ut victus ſufficiat valde vereor. Atrebatum tentavimus noctu, ſed ſine ſucceſſu, niſi quod opulens ſuburbium direptum & exuſtum, 28. Martii. Tentarunt & Steenwicum Hiſpani infeliciter, admotis per aquam glacie adſtrictam ſcalis in oppidum ingreſſi, repulſi ſunt fortiter, & eorum 500 deſiderari ajunt. Mauricius Comes in Geldria occaſionem exſpectat rei benè gerendæ. Sed quid tibi de militum qui in Hungariam dicuntur conſcripti ad Argentinam delectu videtur? In metu certè ſunt Argen-

tinenſes, & Durlacenſis militem conſcribit. Mihi omnino ſuſpectum eſt negotium : & ſi nihil nunc tentatur, tamen aſſuefacere illos tranſitibus iſtis militaribus Cæſar cupit, ut aliquando ſecuros adoriatur. Sed hoc divinare eſt. Tranſitum liberum ſuper pontem Rheni petiit & facilè obtinuit. Sed Suevos audio negare per provinciam ſuam. Magiſtratus Colonenſis gravius incumbit Reformatæ religionis hominibus. Sed à Rep. ad Muſas tranſeo. Scripſi nuper ad Ritershuſium. Mitto nunc veterum poëmatiorum librum in quo Avieni fabellæ & alia, & Germanicum cum adſcriptis ex veteri Codice lectionibus, & quibuſdam quæ in editis deſiderantur : quæ ut commodo tuo cures ad Riterſhuſium peto. Ad te mitto neſcio quid Heurnii, & Aeſchyli tragœ-
diam

diam converſam & explicatam à Florente Chriſtiano. Iter in Galliam paro, Vocant me domeſtica, & hic etiam luctus. Tu ſi quid me vis, aut amici, impera. Amicitiæ tuæ memoriã ſervabo, quandiu me Deus: & eam probabo tibi omnibus officiis. Idem & Ampliſſimis Dominis Baumgartnero, Nutzelio, Geidero, Firero & Clariſſimis fratri & filio dicas à me velim, & jam Illuſtriſſ. Dom. Comiti, cum officioſa ſalute. Litteras tuas, ſi hoc me favore proſequi pergis, curabis Argentinam ad Lobbetium. A Domino de Freſnes miſi litteras nuper ad Dominum Nutzelium: mallem rem ipſam potuiſſem mittere: quod futurum confido. Turcica tua lubentes accipient Wecheliani: & excudent ut Leunclavianis jungi poſſint. Vale Clariſſ. Dn. & me tuum ama. Francof. 8. Apr. 1597.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CLVIII.

EXcidit mihi quærere de te quid ſit Spigranella herba cujus meminit Joannes Anglicus in Roſa Anglicana, capite de phthiſi & aſthmate. Rogatus ab amico; hoc abs te peto. Ritershuſio ſilentium meum ut excuſes etiam peto, ſalutem addas ei & Gentili, meo nomine, & moneas ut adeſſe Luctui meo Muſas ſuas velint, quod petii ab utroque per litteras. Elogium ſcripſi raptim, quod illis communicare poteris. Argentinæ ſpero me litteras à te accepturum ante diſceſſum. Apud nos verò ſi quid tua aut tuorum cauſa poſſum, utere me quæſo, & impera homini certè tuo. Iuliacenſem convaleſcere & mentem recipere ſcribunt & firmant Coloniâ. Salutem adſcribo Illuſtri Domini Comiti & Ampliſſimis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Baumg. & Nutzelio, fratri etiam tuo & filiis. Auguſtâ pr. Kalend. Maias. 1597.

CLIX.

PAucis te ſalutabo: nec multis patitur tabellarii hujus feſtinatio. Tu verò unà nobiſcum concelebra Dei benignitatem qui prodigioſam proditioně, quâ pleræque Regni noſtri urbes petitæ, patefecit: & è præſenti exitio Regnum liberavit. x. Apr. ſupplicium de duobus Lutetiæ ſumptum atrox: Vnus illius Carpentarii filius cum quo olim Ramo certamen fuit, quemque auctorem cædis ipſius Rami ferunt: hic in Magno quod vocant Regis Concilio Advocatus Regius. Capti multi & viri & fæminæ omnium ordinum, Abbatiſſæ, monachi &c. Accuſati ad 800. XXII. Urbes ajunt proditione iſta comprehen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

prehenſas, in iis Rupellam. Et Abbevillæ eò imprudentiæ vel furoris potius res devenit ut medio die, medio foro, quidam exclamarit. Vivat Rex Hiſpaniæ. Rex Lutetiam accurrit ut plebem firmaret & res componeret, Bironium reliquit ad Ambianum cum exercitu. Eodem tempore Monſtrolium hoſtis invaſit, repulſus præfecti & civium conſtantiâ, ad 300 è ſuis amiſit. Valones hîc noſtri hactenus vivunt vitam aliorum militum. Miles eſt undique coactus è Belgis, Leodienſibus, Burgundis, Lotharingis, Gallis. Baſileam ſcriptam ab amico, & ipſo inſcio me curante Francofurti editam ad te mitto, & ad Scipionem & Ritershuſium, quibus & amicis aliis ſalutem. Raptim Argentinâ IX. Maii. 1597.

CLX.

CLX.

TUas 28 Apr. datas accepi à Tabellario veſtrate:ſed priores quarũ mentionem facis, nondum vidi. Advenit tandem Ancelius noſter. Reditum ſeriò paramus, excurrit tamen ille ad Bipontinum. Nos hîc cincti milite extero, ſecuri ſumus. Schonbergius expleto numero ſuo jam multos dies arma expectat, cum ruſticorum & vicinorum omnium indignatione & damno. Alter Lotharingus, qui ſuis dicitur Chaſteaubrehan, Germanis Beyer, Dominus de Poppart, vix toto hoc menſe cogere in unum ſuos poterit: In utraque Legione multi noſtrates, plerique ob facinora profugi, in Hungaria, ut ſpero, expiabunt perpetrata apud nos ſcelera. In conjuratione de qua nuper ad te, neque tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

tus quantus ferebatur numerus, neque tam præſens periculum. Duo illi de quibus Lutetiæ ſumptum ſupplicium, operam ſuam præſtabant Cardinali, in litteris ad Mercurium & Hiſpanos præcipuè, in Britanniam mittendis, & quæ poterant cognoſcere ipſi perſcribebant. Ex iis Carpentarius Advocatus quidem fuit, ſed non Regius. Sed urbes noſtras feriò de Regni ſalute cogitare, ad me Lutetiâ ſcribitur : ipſamque Lutetiam tria millia Helvetiorum ſuo ſtipendio alere conſtituiſſe, aliaſque urbes pro facultatum ratione, militem alium : ut tandem conſtans exercitus confici poſſit. Ita ſana conſilia amplectimur plerunque cum res in extremo ſunt: quod ipſum utinam non & vobis accidat. De induciis cum Sabaudo porrò conveniſſe ajunt : ſed Britannicam pacem deſperatam

eſſe,

eſſe, occupato à noſtris Caſtrobrianto, loco & opere munito & ſitu commodo. Niverſius, Yuoy Luxemburgicum oppidum occupatum exuſſit. Hiſpanum de Occitania invadenda cogitare rumor eſt: ſpero parata eum iſtic omnia inventurum. Deus mentis Chriſtiani orbis & Eccleſiæ miſereatur & te ſervet. Amicos iſtic omnes ſaluto officioſè. Argentorato 18. Maii. 1597.

CLXI.

HEri ad te ſcripſi per Tabellarium Argentinenſem: nihil eſt quod addam niſi hæc ex Caſauboni ad me litteris ſcriptis Mompelii a. d. 14. Kalend. Apr. *Video ſollicitum eſſe præſidem de Freſnes, de iſtis negotiis, & ea ſine iter brevi Lutetiam cogitat. Imo conſilia ſua omnia ipſus mihi aperuit: Velle ſe vendere locorum patriorum partem ut ære*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

iſto ſe liberaret. Quod ego affirmo tibi juratus certum & verum eſſe. Habes Caſauboni ipſius verba: quæ niſi moleſtum eſt præleges Ampliſſimo Domino Nutzelio & ſalutem ei dices à me. De Wallonibus noſtris heri ad te ſcripſi: ſed præterire non poſſum mirari me, quî Imperator militem mutet, ducem non mutet. Ego in ea ſum ſententia, quæ hactenus in Vngaria peccata ſunt, ea à Duce non à milite peccata eſſe: & militem ipſum bonum probumque eſſe, ſi Ducem habeat & prudentem & fortem. Hoc confirmare tibi poſſum, Eſſe inter hos quoſdam noſtrates, quibus ob rapinas & ſcelera tutum non ſit verſari apud nos. Quod autem in poſtremis tuis laudas Hiſpanorum animum: Laudo & ego: ſed ut Latronum, qui aſtu aliena captant. Sed de his alias.

Libel-

Libellum de Murrhinis juſſu meo mittet ad te Marnius Wechelianus, litteras vero has ad Peucerum tibi commendo. Turcica exſpectant Wecheliani. Rectè verò tu & prudenter Filios hujus generationis prudentiores eſſe quàm filios lucis: niſi quòd vereor ne hi filii lucis vocari debeant: quos ſanè ſimplices quidem ut columbas, ſed prudentes ut ſerpentes eſſe decet. Et lucem profitemur ore, factis certè negamus, dum tenebras ipſi obducimus nobis & lucem ubique fugimus.' Sed hæc aliâs. Vale Vir Clariſſ. & me tui obſervantem ama. Ampliſſimo Dom. Baumgartnero officioſam ſalutem, & Illuſt. Domino Comiti, & fratri filiiſque. Argentinâ. 19. Maii. 1597.

CLXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CLXII.

QUas huic tabellario litteras ad te paraveram, eas cum aliis Argentinenſi dedi, hoc diutius abſente. Nolo tamen hunc vacuum abire. Hoc ipſo die Legionis Schonbergii numerus initur & arma diſtribuuntur: infra biduum ajunt Rhenum tranſituram. Cancellarium noſtratem audio hâc primum horâ dimiſſum, & Domino Sancio Sigillum regium commiſſum. Sed audio ab homine non certæ fidei: itaque fidem non habeo. Addunt quidam, quod à me nolim ſpargas, ad Pontificios tranſiſſe: quod mihi nullo modo ſit probabile. Namque neque munus illud tanti eſt ipſi quod oblatum à Rege defuncto recuſavit: & poſtremæ quas ab eo habeo litteræ, magnum in Religione ſtudium indicant. Cæterùm

terùm creſcit apud nos Euangelicorum numerus. Scio dudum eſſe quod de illius Cancellarii dimiſſione Sancius cogitat. Homo eſt enim nullius pretii. De ſororis Regiæ cum Marchione Muſſipontano, Lotharingiæ primogenito nuptiis quæ feruntur ſcribam proximè. Heri ſub veſperam tuas accepi ſcriptas 20. Apr. cum adjunctis, pro quibus habeo tibi ſummas gratias. Vale. ſcripſi raptim, Argent. XIX. Maii. 1597.

CLXIII.

Octiduum vix elapſum eſt ex quo ternas ad te dedi. Tribus verbis dicam accepiſſe me, poſtremas tuas ſcriptas VII. Maii: quibus Schoppii adjunctæ fuêre: & intra triduum, ſi Deus faverit hinc nos diſceſſuros, magno cum animi mei gaudio, quod diſſimulare non poſſum. Exſolvam me,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ut ſpero, non quidem curis, ſe
tamen vinculis hiſce negotioru
publicorum, & revertar ad vos
liber. Schoppio reſpondeo, &
mitto litteras commendatitias
ad Carolum Harlæum Dolotiu
& ad Pinellum. Hominem no
novi, niſi de ſcriptis, ſanè doctiſ
& de iſtis ad me litteris. Scis quàn
grave ſit hominem commendar
non penitus cognitum. Sed ne-
gare hoc docto homini & ami-
citiam tuam profitenti non poſ-
ſum. Volo tamen commendati-
tias has commendare fidei tuæ
quas tu, pro arbitrio, aut reddas
aut teneas. Debeo certè Schop-
pio quòd me ſalutandum puta-
verit litteris ſuis. Ritterſhuſio
an reſcribere poſſim dubito, ita
ſub hoc abitu obruor. Sed quæ-
ſo te, excuſa me apud illum, &
cum eo ſaluta meo nomine etiam
Scipionem. De publicis rebus ni-
hi

hil ſcribo: nam me abiiſſe amici judicant, & ſilent. Schonbergii miles ultimus, hodie Rhenum tranſiit. Poppartii numeri nondum expleti:& de equite ortæ inter hunc & Sprintzenſtenium controverſia. Sprintzenſtenii fide Poppartius (qui aliâs Caſtellobrænius) quingentos equites conſcripſit magno ſumptu. Sed nec litteræ ab Imperatore quæ fidem illius liberent, nec pecunia mittitur. De nuptiis inter Regiam ſororem & Muſſipontanum Marchionem ſermones multi. Ego à Rege nihil aliud habeo, quàm petenti Lotharingiæ Duci, ut filio ſuo illius ambire nuptias liceret, negare non potuiſſe. Lutetiâ, ſi Deus conficere iter dederit, habebis à me litteras. Ubi ubi ego ſim, paratum me tibi & tuis habebis ad omnia. Hoc de me & fratri confirmes velim, & Illu-

ſtrem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſtrem D. Comitem, Ampliſſimosque Senatores noſtros ſalutes à me officioſe. Litteras tuas Baſileam inſcriptas, miſi eadem hora quâ accepi & commendavi eas Aubrio Wecheliano. Marnius exſpectat Turcica, & Orationem quandam Cuſpiniani in Turcas cupit adjungere, niſi tu non vis. Deus te ſervet. Argentinâ. XXV. Maii, 1597.

CLXIV.

SAlutem tibi dico, Vir Clariſſime, poſtquam adveni huc ſalvus. Et publica & privata mea offendi implicata, valde. Rex ex caſtris ad Ambianũ huc recurrit, ut quędam ad obſidionem neceſſaria curaret præſens, & cras, nisi fallor, repetet caſtra, in quibus egregiam operam, præcipuam certè Bironius præſtat, cujus de gravi morbo rumor hic fuit falſus.

Bla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Blaveto pulſos ab Italis Hiſpanos ajunt, & Mercorium de pace tractationem repetere. Sed ajunt: & ſermones dubii valde. Noſtri Reformati, conventum habent Caſtelloraldi, cum iis Bullionius, ad eos proficiſcitur Schonbergius, inde adfuturus Montpenſerio cui obſidio Mirebelli in Pictonibus commendata eſt: oppidum id nuper in Mercorii poteſtatem venit præfecti proditione. Comes Clermontii, Caroli regis filius naturalis in Arvernia neſcio quid molitur, corruptus à Sabaudo. Sed conſilia in tempore prodita, ut ſpero, fruſtra erunt. Phædrum ad vos mittam emendatiorem. Peto itaque ut cum ſalute dicas Ritershuſio ut editionem differat. Filium fratris tui hic vidi & quæ in me ſunt obtuli, neque ei deero ſi uti me velit. Videtur mihi reditum per Angliam & Hol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Hollandiam meditari: nec velim diſſuadere. Sancius noſter quantum mutatus ſit, cognoviſti. Me certè caſus ejus affecit graviſſimè. Sed nepotem tuum ex fratre videre & amplecti cupit, in te tuoſque nullo modo mutatus. Deus nos conſtantes ſervet. Vale. Peucerum & amicos ſaluta à me. Lutetia 22. Iunii 1597.

CLXV.

SCribo ad te ſanè occupatus prehẽſationibus aulicis, è quibus expediam me intra paucos dies. abrumpam omnia, ſi diſſuere non licet. Sed committere non debeo ut fratris tui ampliſſimi viri filium dimittam abſque litteris meis Expoſui ei parentis animum, & auctor fui ne hanc tutò diſcedendi occaſionẽ amitteret: Commendavi cum Legato noſtro qui ad Helvetios proficiſcitur,

citur, & Hotomano Franciſci filio qui Legatum propinquum tuum comitatur. Baſilii ſermones Ethicos Latinè redditos fruſtra quæſivi: diſtracta jamdudum ſunt exemplaria omnia Latina: & de Græcis pauca reliqua ſunt. Collectionem Parœmiarum Scaligeri his addidi: Poematia Paſſeratii & Orationem de cæcitate miſi ante alias aliquot Argentoratum ad Lobetium qui porrò ad te curaret. Phædri fabellas emendatas ego referam: quod ut Ritershuſio ſignifices velim: & ſalutem ei atque Scipioni dicas nomine meo. Carmen ejus in P. Pithœi obitum peto ut mittas: nam exemplum quod ad me miſerat, mihi, ni fallor, periit. Si quid hinc vis aut tuo aut amicorum nomine, indica, quæſo, vel uno verbo. Fratris tui filio mutuos dedi Coronatos centum decem: quîs &
equum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

equum pararet & fidem liberaret, & ad iter inſtructus eſſet. Eos cupio Calandrino noſtro numerari. Rex 28. Junii in caſtra ad Ambianum per diſpoſitos equos celeres ſub noctem hinc diſceſſit. Subſequetur nobilitas omnis, quę equitatum augebit: nam peditum ſunt ad XV. millia, tormenta XXI. iis accedent alia XVII. In Britannia videtur Mercorius ad pacem ſpectare. Reformati noſtri pertinaciter concedi ſibi volunt omnia quæ jamdudum petierunt. Et pleriſque Rex annuit, ut ex iis cognoſces quæ ad Dn. Calandrinum mitto. Lutetia poſtquam tria Helvetiorum millia alere ſtipendiis ſuis promiſit, alias ad ſimile officium urbes conatur adducere & ſperat impetraturum ſe ſtipendia peditibus XVI. millibus. Ego hinc domum ad domeſtica, unde ſcribam ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

te copioſius, & familiarius. De pace inter duos Reges multus ſermo. Ego nihil affirmare audeo: Et Rex ſanè non videtur in eam inclinare. Sed ex interceptis Hiſpanicis litteris cognoſcimus de matrimonio inter Cardinalem & filiam Hiſpani pænè tranſactum. Vale & amicos ſaluta à me. Lutetiâ raptim, Kal. Jul. 1597.

CLXVI.

QUi meus eſt mos, tribus te verbis ſalutabo. Pax hodie in ore omnium: ſed plebi & pleriſque aliis etiam in votis. Ego ad ejus nomen exhorreſco. Nam quibus ea inædificari fundamentis poſſit, non video: niſi hoc video ſcioque, miris artibus Hiſpanum illudere Chriſtiano nomini. Sed iſta Deus viderit, viderint & ii quibus ad obtinendum vis adhuc aliqua. Schonbergius in Pi-

ctones

ctones abiit, & Euangelicos noſtros placaturus & Britannica curaturus. Nuptiæ inter Dominam noſtram & Muſſipontanum adhuc incertæ: Videtur illa perſtare velle in veritatis profeſſione. Sancius quàm graviter quàm turpiter lapſus ſit, vides: quod ego ſanè non poſſum cogitare ſine gemitu. Sed ut nobis fortè hic decedat aliquid; Deo certè iſtic ſua ſemper ratio conſtat. Scripſi per Clariſſimi Viri D. Philippi filium, cui & mutuos dedi aureos coronatos CXXII, ad iter & alia hic expedienda: Eos cupio reddi Domino Calandrino. Clariſſime Domine Vale & ſalutem dicito iſtic amicis omnibus. Lutetia 9. Julii. 1597.

CLXVII.

IAm ſollemne mihi eſt, breves ad te ſed frequentes dare. Ego verò

verò nullas à te ex quo Argentinâ pedem extuli. Nos hîc valemus utcunque & ſpiritum trahimus. Ambianenſis nos obſidio torquet, majori animo, quàm viribus cœpta. Eas tamen colligimus, & numerus militum, quo maximè laboramus, augetur cottidiè: & ſpes eſt, intra hunc menſem, validum nos exercitum habituros, maxime ſi controverſiæ compoſitæ fuerint quæ nobis ſunt cum Rege: Nobis cum dico, nos intelligo qui Religionem puriorem profitemur. Noſtros conveniſſe Caſtelloraldi, ad te ſcripſi: ii verò necdum convẽtum ſolverunt; exſpectant Legatos Regios, Thuanum Emerium, præſidem: Calignonem Cacellarium Navarrenum, & Vicum ſupplicum libellorum magiſtrum: qui hodie aut cras hinc ſunt ad illos abituri. præceſſit eos Schonbergius, ſed inprimis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

primis rebus Britannicis vacaturus. Muſſipotanum hîc habemus. De ejus nuptiis, varia judicia: Tota res à Rege pendet. De Pace cum Hiſpano ſermones crebri. Ego ad eam, nullam invenio viam. Ad Calandrinum noſtrum ſcripſi paullo plenius: Tu hæc excuſabis & me amabis atque commendabis amicis iſtic omnibus, quibus ego tibique æternum addictus. Lutetiâ 11. Auguſti 1597.

CLXVIII.

Libellum Baſilii quem à me olim petiiſti, vix repertum, ad te mitto. Apud typographum, jam decennium nulla exſtant exemplaria. De Serrani hiſtoria quæſivi, Indicem ſcripſit hiſtoriæ Francorum à primordiis regni: ſcripſit Gallicè, & ſatis accuratè. De Phædro jam dixi, quædam pauca me Ritershuſio communi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

municaturum quo emendatior prodeat. Si quid ſit quod hinc tu tuique velitis, quæſo, impera: licet. Me mea adhuc retinent hîc & tenebunt duo circiter menſes. Ut primum domeſtica compoſuero, dabo vela ventis, & vos reviſam, ſi ita Deus voluerit. Publica eo ſtatu ſunt quo nolim. Sed publica hæc eſt querela & omnium gentium. Repetere quæ ad Peucerum ſcribo, tædet: itaque iis lectis, litteras, niſi moleſtum eſt, obſignabis & mittes. Ex quo Argentinâ diſceſſi, nullas accepi à vobis. Vale & Illuſtriſſ. Dn. Comitem, Ampliſſ. Dom. Baumgartn. & Nutzelium, & Clariſſ. D. D. Philippum cum tuo ejus filio ſaluto officioſè & amanter. Dn. de Freſnes in itinere eſſe certò cognovi: & eum hîc amici exſpectant quotidiè. Extractiones, quas veſtri Pharmacopœi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Balſama vocant, ut fiant valde velim cognoſcere. Illæ quas vulgus cum ſpiritu vini elicit, craſſiores ſunt: & in veſtris videtur eſſe aliquid & ſubtilius & operoſius. Iterum Vale. Lutetiâ 11. Sept. 1597.

CLXIX.

ACcuſabis, ſcio, ſolemnem jam mihi brevitatem: ſed & excuſa, quæſo. Huc excurri propter negotia quædam, quæ mihi ſcribendi tempus auferunt: excurri ad tres aut quatuor dies, ſed intra quindecim reverſurus. Ambianum tandem noſtrum eſt, ſola regis virtute & vigilantia. Verè dico. Terruerat noſtros omnes repentinus aſpectus exercitus Hiſpanici: ita compoſiti ut terrere etiam præviſus paratos poſſet: Et ita terruerat, ut aliâs impavidis conſilium mentemque auferret ſolus Rex interritus, cogere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſuos & animare; & ſolus proſpicere quò tenderet hoſtis: ſolus auctor occupandi locum, quem ille ſi inſediſſet, fruſtra erant conatus omnes noſtri. Obſeſſis conditiones eas Rex dedit quas ipſi petierant: Rumoribus ſalutem anteponens. Imminebat obſidioni inepta tempeſtas: & eo adhuc numero erant obſeſſi, ut dubium eventum reddere poſſent. Et repentinus hoſtis Cardinalis receſſus, ſuſpectus erat merito. Itaque & tempus redimere, & ſuos conſervare, & ad Cardinalis motus oculos intendere viſum ante omnia. Fefellit ille volentibus nobis opinionem noſtram. Regi ex eo conſilium, excurrere in agrum hoſtilē cum ſelecta equitum manu, & cum reliquo exercitu obſidere urbem aliquam. Sed plerique exhauſtis marſupiis relinquere caſtra coacti: in quibus parata

quidem omnia quæ ad victum neceſſaria, ſed venalia, quamvis pretio commodo. Deſtitutus numero ſuo Rex, Durlanum tamen ut arbitror aggredietur. Cætera parata per receptum Ambianum, quæ aliâs intuta ſatis. Sed hæc proximis literis. Amicos iſtic omnes ſaluto officioſè. Vale Lutetia 5. Oct. 1597.

CLXX.

CArmen hoc à Typographo madens allatum occaſionem mihi dat ſcribendi ad te, etſi hinc domum valde propero. Paſſeratii poemata & alia quædam ſcio me miſiſſe; an acceperis neſcio. Uxorem te dediſſe filio tuo audio, & gaudeo: & perpetuum ex eo vobis gaudium voveo. Ego jam totus ſum in re familiari reſtituenda, quam turpiter collapſam inveni. Sed extricare me & libris

libris reddere certumeſt. Rex ad Durlanum eſt tempeſtate obſidioni omnino inepta & vaſtato omni circum agro. De pace aut induciis ſermo multus: & judicia varia. Ego & pacem neceſſariam nobis judico, & horreſco tamen ad ejus nomen, cum Hiſpanicam cogito. De Mercorio opprimendo & Geneva contra Sabaudum auxiliis adjuvanda, conſilia agitantur ſecreta. Sed mitto publica, & ad privata mea me refero. Salutem Illuſt. Domino Comiti, Ampliſſimis Dominis Baumgartnero & Nutzelio, Geidero &c. Clariſſimis fratri & filio & Domino Calandrino noſtro, & Scipioni. Raptim Lutetiæ ſcripſi 12. Oct. 1597.

CLXXI.

VLtimæ tuæ ſcriptæ 4. Octobris redditæ mihi ſunt XXI.

hujus menſis. Ex adjunctis Domini Calandrini noſtri, quæ erant exaratæ 16. Octob. cognovi Chriſtianum exercitum ſolviſſe obſidionem Javarini. Non poſſum non cum ſummo animi dolore intueri lacerum Rei Chriſtianæ. Nos hic civiliũ bellorum oneri ſuccumbimus & noſtris ipſi moribus perimus. Vos iſtic dum negligentiâ immaniſſimo hoſti portas Germaniæ recluditis. Interim laborat Eccleſia atrocibus diſſenſionibus & Theologorum furoribus immanibus. Sed nihil hîc querelæ adjuvant: preces nobis relictæ ſunt quibus juſtam iram Dei avertamus: & ſanctâ incluſi arcâ, ruinam hanc publicam, ſecuri intueamur. Ad noſtra venio. In Mercorium toti ferimur: & Blæſas Rex ſub finem anni cogitat, ut propior Britanniæ cuncta accuret diligentius.

Vicinæ

Vicinæ provinciæ Pictonum, Turonum, Andegavorum magnam in belli ſumptus pecuniæ vim ultrò conferunt. Mercorius ad ſexcentos Hiſpanos in primariam urbem Nannetum recepit: & velut ad obſidionem ſuſtinendam ſe comparat. In agro Lutzelburgenſi conſilia Bironii infeliciter ſucceſſerunt, proditione cujuſdam, qui nudius quartus ſupplicio eſt publicè affectus. Sabaudica & Anglica nobis nota ſunt. Pacis negotium cum Hiſpano magna contentione Legatus Pontificius urget; ſed ab ea, quamvis plebeculæ noſtræ pernecеſſaria, alienior Rex videtur: miſit tamen qui Pontificio adeſſet, Sillerium exlegatum Helvetium: & alium in Angliam, qui de omnibus Reginam redderet certiorem. Capita quæ nos Religioni puriori addicti petimus, pleraque omnia,

uti de iis Caſtelloraldi convenerat, Rex rata habuit. Ita iſtinc benè habet, niſi quid Furiæ Pontificiæ, aut quorundam noſtrorum ambitio, turbant. Dominus de Freſnes totus hîc eſt in pecunia conficienda, ut vobis ſatisfaciat: confecto negotio, quod infra paucos dies futurum ſperat, ad vos ſcribet. Interim vos ſalutat. Profecto malè habet ejus res familiaris. Illuſt. Dominum Comitem, & Ampliſſimos Dominos Baumgartnerum & Nutzelium alioſque Senatores veſtros, fratrem & filium tuum VV. CC. ſaluto officioſè, & Scipionem noſtrum & Rittershuſiũ. A Scipione Elegiam accepi, abſque litteris, pro qua gratias ei ago maximas. Vale. Lutetiâ. 28. Novemb. 1597.

CLXXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CLXXII.

DIuturnum & præter morem ſilentium tuum miror. Nos hîc valemus ut in Regno adhuc ex gravi & lethali morbo languente. Poſtquam confirmatus videtur limes Belgicus, nos ad ſe Mercurius vocat: Britanniam is, ut ſcis, & vicinas provincias Andium, Turonum, Pictonum, Rege ad alia converſo, graviſſimè afflixit impune. Totus hodie in eum Rex fertur, quantum apparet, ſerio: & nudius tertius, tormenta devehi cœpêre. Sed artes quorundam nimis malè metuo, quos ſcio ſanis conſiliis repugnare, natos malè facere. Dum hæc cogitamus, ineuntur etiam rationes arcendi à Picardia hoſtis. Nempe edocti, ludere iſtic impunè hoſtem, Rege averſo, & neglectui habitum limitem iſtum, maximum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

intuliſſe Regno damnum. Sermones interim de pace Legatus Pontificius ſerit: neſcio quo fructu. Adeſt ei à Rege Sillerius San-Quintini. Ego quid optem neſcio. Pacem & nobis neceſſariam video, & cum Hiſpano perniciosam ſcio. Sed erunt iſta Deo curæ: abſque quo conſilia omnia noſtra, ſtulta; conatus irriti. Legati à Rege ultimum ut ſpero, profecti ad noſtros Caſtelloraldum: namque Rex in pleraque omnia conſenſit quę petimus. Legatos ab Ordinibus exſpectamus, qui dicuntur conſilia bellica ferre in annum inſequentem: utinam ſalutaria. De ſororis Regiæ cum Lotharingo nuptiis nihil adhuc conſtitutum: Namque illi in cœpta Religionis profeſſione manere conſtitutum. Ego brevi ad vos cogito: Sed ut ſpero, privatus. Paſſeratius graviter decumbit, & ſtudia

ſtudia hîc frigent publica. Libellum novum Philoſophicum editum ab adoleſcente, ſed ut audio, ſatis doctum, accipies à Calandrino noſtro. Illuſtrem Dom. Comitem, Ampliſſim. Dominos Baumgartn. Nutzelium, Geiderum, Firerum, & Clariſſimos fratrem & filium ſaluto officioſe: addo Gentilem & Ritterhuſium. Meas ad Schoppium & ad Peucerum tibi commendo. Vale. Lutetiâ 26. Dec. 1597. Cras Dominus de Freſnes aderit: inſtabo ut ſcribat & ſatisfaciat.

CLXXIII.

QUas ad me dediſti ſcriptas xv. Dec. eæ me de veſtris rebus edocuerunt, ignorantem pleraque. Et diutius certè hæc me aula quàm putaveram tenuit, contra ingenium meum. Portum, ut ſpero, video. Rex 9. Febr. hinc abiit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

abiit ad Fontembellaquæum, aliquot dies ibi exſpectaturus Legatos Anglicos & Belgicos, quos ſcis ſuper pace Hiſpanica adventare. In qua nos valde dubii hæremus. Occaſio hinc egregia, bellum ſuadet: ſed iſtinc diſſuadet Regni calamitas & ſubditorum ingens. Conſilia Deus Principum regat. In Britannia noſtrate, Mercurius quas improbè olim recuſavit pacis conditiones, hodiè expetit. Sed puniri hominis aviditatẽ publicè intereſt. Vereor tamen ne tractetur pro meritis. Dinantium, præcipuũ oppidum, introducentibus civibus primariis San-Malonenſes, ad auxilium accurrente Mongommerio, Regi reſtituerunt: Valde hæc jactura Mercurii partes imminuit. Intercedit pro fratre Regina vidua, & petit ut oſtendat Rex aliquid eſſe & ſuas preces pro fratris incolumitate.

Reſpon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Reſponſum tulit, Petiiſſe ab ea Regem, amiſſo Ambiano, ut Regno graviter periclitante, fratrem flecteret & ad officium reduceret: Quantum ponderis tum pro Regni ſalute, ipſius Reginæ apud fratrem preces habuiſſent, tantundem hodie apud Regẽ pro fratre habituras. Princeps Aurangiana huc ad nos appulit cũ filio, qui annum in Regno, de ordinũ conſenſu, moraturus eſt, ut jure eodem ſit quo ſi natus eſſet in Regno. Filiã, Electricis Palatinæ ſororem, deducit nupturam Trimolio, cujus ſororem uxorem habuit Condæus is qui anno 88 deceſſit. Freſnius hîc à nephritide graviter decumbit, aliâs daturus ad vos litteras. Vir Clariſſ. vale, & niſi moleſtum eſt, Illuſt. Dn. Comitem, Ampliſſ. Dn. Baumg. & Nutzelium, fratrem & ejus cum tuo filium ſaluta nomine meo. Lut 13. Febr. 1598.

CLXXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CLXXIV.

TAndem cum Mercorio res compoſita eſt, & heri ſuper eo Regium edictum in Parlamento approbatum & promulgatum eſt. Atque ita rediit ad fidem Britannia noſtra, quâ Mercorius cedit. Eam provinciam rex adminiſtrandam dat notho ſuo Cæſari, adpuero: ſed Regius ei vicarius adjungitur Dux Mombaſoni, ex familiâ de Rohan, quæ orta eſt Regibus Britonum: ipſe vir egregius & probatæ fidei. Notho autem illi, filia Mercorii deſponſata dicitur: eique titulus Ducis Vindocinenſis attributus à Rege. Titulus, inquam: nam ducatus ejus partes omnes aut diſtractæ aut oppignoratæ. Sed filiæ ſuæ Mercorius dicitur 200. mil. coronatorum in dotem dare, & 50. mil. librarum noſtratium (Francos voca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

vocamus) annui reditus, & 50. mil. Coronator. in mundo. Hæc vulgo feruntur. Certiora ipſe, ut ſpero, ſcribam ad te Baſileâ, quo intra paucos dies cogito. Legatio Anglica hinc ad Regem contendit: Belgica Rothomagum advenit: ſcis de pace & bello acturos. Legati Regum, qui Veruini, Curſorem in Hiſpaniam miſſum exſpectant, qui reſponſum referat, ſuper articulo quodam de quo diſputationem Rex injecerat, ut Legatis Belgicis tempus ad iter daret. Ego hîc quid maximè velim, ſanè neſcio. Periculoſæ plenum opus aleæ. Deus, cui ſuorum cura eſt, iſta viderit, & te ſervet, Vir Clariſſime, cum amicis quos ego ſaluto officioſè. Lutetiâ 27. Martii 1598.

CLXXV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CLXXV.

TRibus te verbis adveniens ſalutavi. Plura tum addere vetabat laſſitudo, quam nunc in longioribus profectionibus primùm experior. Miſi unà litteras à Domino de Freſnes ad te & ad Ampliſſ. Dom. Nutzelium. Nunc ſi quid velim ad te ſcribere de rebus noſtris, nihil occurrit niſi obſoletum. Nam & Regem nobis, id eſt iis qui Reformati dicuntur, ea conceſſiſſe omnia quæ petebamus, etiam ſupra ſpem noſtram, jam audiſti: & ſtatum rerum noſtrarum quantum omnino potuit firmaviſſe. Unum eſſe reliquum ut Edictum ſuper iis Regium Parlamentis probetur, & porro reipſa comprobetur. Ad hoc utetur jure ſuo Rex: quem ante Iunium menſem non puto Britanniâ diſceſſurum, niſi quid fortè in Picar-

dia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

dia novi moliatur hoſtis, cujus mihi ſemper ſuſpecta ſunt conſilia. Nec novum tibi, apud Regem fuiſſe Anglicos & Belgicos Ordinum Legatos: de quibus nihil habeo certi dicere: niſi quod à pace illi abhorrere non videbantur; hi alieni omnino erant. Regis verò hactenus dubius animus fuit: Trahunt eum ad pacis conſilia, ſubditorum preces & ſtatus ſanè miſerrimus; & totius Regni neceſſitas. Retrahunt egregiæ quæ ſe oſtentant occaſiones, & reſpectus Ordinum Belgicorum, quibus ex animo Rex benè vult. Et Britaniam noſtratem in Regis poteſtate eſſe, Blaveto excepto, audiviſti: & ſe voluntati Regis permiſiſſe Mercorium, pænè deſtitutum ab omnibus. Sed & in eum ſolita clementia Rex uſus eſt. Andegavi Regem convenit ſine apparatu: & ab aulicis ſine hono-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

honoris ullo argumento, & à ci-
vibus duriter exceptus: nam &
periclitaſſe de vita ajunt. Nanne-
tum urbem maximo Procerum
& Nobilium comitatu Rex eſt
ingreſſus x. Apr. Tertio poſtea
die juſſu Senatus Lutetiæ de rece-
pta Britannia laudes Deo dictæ
& alia publicæ lætitiæ edita ar-
gumenta. De Blaveto reciperan-
do agitabantur conſilia. Cum Re-
ge erat Bullionius. Sed præfe-
cturam Britanniæ Rex filio ſuo
naturali contulit: cui additus Vi-
carius Regius Dux Mombaſoni,
Britannus è familia Rohanâ quæ
illis locis & antiquiſſima habetur
orta Regibus Britanniæ, & no-
biliſſima: ipſe & fide in Regem
egregia, & virtute probatus. Am-
biani erat Coneſtabilis cum ego
Lutetiâ diſceſſi: Bironiũ vidi Di-
vioni: Erat Burgundis è comita-
tu, ſuſpecta ejus in Ducatu diutur-
nior

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

nior mora: & amicum illi iſtum quàm vicinum mallent. Regũ de pace Legati Veruini adhuc hærẽt. Negotio ſtudioſè à noſtris protracto, ut Legatis Anglicis, Ordinum quos tempeſtate prohiberi terrâ noſtrâ conſtabat, tempus adeundi Regem concederetur. Redierat ex Hiſpania curſor ſuper quibuſdam à noſtris de induſtria in dubium vocatis in Hiſpaniam miſſus. De nuptiis Lotharingicis in aula noſtra altum ſilentium. Ledigerius, ut ſcis, vires reparat, & ſe ad bellum renovandum ſtrenuè comparat. Sed circa Genevam miles à Sabaudo neſcio quid mali alere videtur. Et rumor hic frequens, ſed autore non ſatis certo, tentaſſe eos etiam ſcalis admotis aliquid nocte quæ ſollemne Paſchatis feſtum ſubſecuta eſt. Sed hæc hactenus. Tu Vir Clariſſ. vale & amicos à me

ſaluta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

ſaluta officioſe Illuſt. Dn. Comitem, Ampliſſ. Dom. Baumgartn. Nutzelium, Firerum, Geiderum, fratrem ejuſque & tuos filios. Vix manum de tabula cùm mihi tuæ redditæ ſunt ſcriptæ x. Martii & x. Febr. ſed recentiores exſpecto Francofurto. Scipioni noſtro & Rittershuſio multam à me ſalutem. Siquid ad Peucerum, ſalutem etiam adde nomine meo: ſcribam ipſe prima occaſione. Baſileâ 29. Apr. 1598.

CLXXVI.

ANxium me habet valetudo tua. Tu verò eam cura ſedulo, ſi nos amas. Conſtitueram inviſere te ſub noctem, ſed pertinax pluvia me tenet. Paucis itaque his verbis te ſaluto, & gratias ago ob communicatum ſcriptum quod legimus Ego & Ancelius. Id remitto cum aliis. Heri inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

varia quæ Lutetiâ & ex aula habui ab amicis, triſte hoc fuit quod diem obiit ſuum D. Pithœus vir & ſingulari probitate & excellenti doctrina præditus & mihi dum vixit amiciſſimus: in quo fecerunt bonæ litteræ magnam jacturam. Te vobis Deus ſervet. Reliqua tua reddam ipſe in manus. Salutem plur. tibi Ancelius.

CLXXVII.

ALiquot hîc mihi abs te litteræ redditæ ſunt: è quibus recentiores ſcriptas XII. Apr. accepi ante dies ferè decem: eas verò quas dediſti 26. Martii & 7. Apr. nudius tertius. Reſpondebo obiter: & primùm quantum tibi debeam ob conſtantem tuum in me animum, explicare dicendo non poſſum. Debeo etiam quòd diligenter mecum veſtra & ſyncerè communicas. Et opto ut ſe offerat occa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

occaſio probandi tibi ipſum animum in te meum. Paſſeratius, de quo quæris, quamdiu Lutetiæ fui, peſſimè habuit, deſperatâ valetudine. Ejus poëmata incluſi cum aliis libris ciſtæ, quæ ubi tamdiu lateat miror: namque eam ante aliquot menſes commiſeram mercatoribus ut Argentinæ eam redderent, memor petiiſſe te à me alterum exemplum: id ad te mittam quamprimùm accepero. Gratulor hominibus noſtris, quod te & Velſero judice, Paſſeratius non longe abit à veteribus. Monlucius, Regni noſtri Mareſchallus ſcripſit ipſe commẽtarios ſui temporis, in quibus ea maxime narrat quibus præfuit. Eos legi olim ſcriptos manu, necdum impreſſos: Hodie exſtant, ſed Gallici & habeo, ni fallor Francofurti aut Argentinæ: Facundia militari, & nihilominus accurata expoſitione

rerum

rerum quæ ad bellum, inſignes. Eos ut habeas curabo. Cæterum dubia illa valetudo tua, gravis eſt mihi. Deum oro, ut te tuis ſervet: in iis & ego: tuus ſanè, tuo merito. Sed tuos iſtic omnes, fratrem Clariſſimum & Ampliſſimum virum, filios, fratris filium: ſaluto officioſè. D. Gentili amico veteri &, ut ſpero, certo, D. Rittershuſio ſalutẽ addo. Sed Schoppio, quid factum? Binas ad eum dedi, aut ternas, & ubi ſit ſcire aveo. Te ſalutat Dom. Carolus Harlæus, ſtudioſiſſimus tui. De publicis ſcripſi ad te nuper, nec ex eo comperi quicquam aut certum, aut dignum ſcriptione. Intra biduum Argentinam cogito, inde ad acidulas. Vale Clariſſ. Domine & Illuſt. Dom. Comitem, Ampliſſ. Dn. Baumg. & alios ſaluta nomine meo. Baſileâ. 20. Maii. 1598.

CLXXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

CLXXVIII.

SCripſi ad te diſcedens Baſileâ. Hîc vero redditæ mihi ſunt litteræ tuæ ſcriptæ 8. Maii. De pace quæ judicia fuerint prudentium apud nos cognoviſti ex iis quas ad te dedi 1. Maii, Baſileæ. Iam verò videntur omnia pacem minari. Induciæ factæ in Maium præteritum, & ſi opus ſit, hunc Junium, dum neſcio quæ efferuntur ex Anglia, Hollandia, & Hiſpania reſponſa. Et Angli quidem amplexuri pacem videntur. Ordines omnia alia potius: niſi mutant. Nutant certe omnia: & omnibus privatim ſua cogitantibus, publicæ rei ſecuris, ruunt omnia: aut potius ſuo procedunt ordine, ordine quem dixit Magnus ille Rector. Rex noſter hoc tempore, ni fallor, perluſtratâ Britannia, Lutetiam aut Picardiam repetit.
Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Sed in Nannetum oppido, Carthuſianus monachus ultrò ſe detulit confeſſus inductum à Legato Hiſpanico, jam ſexennium agitaſſe de Rege interficiendo: meruiſſe ob id mortem. Aſſervatur in vinculis cum Italo quodam Coſmo Ruggieri, qui effictis è cera imaginibus, magicis artibus appetiſſe Regis caput dicitur: olim idem ſuſpectus in Carolum nonum & Henr. III. tentaviſſe. Hottomanum vidi diſcedens Baſileâ, is multam tibi ſalutem. Libellum quem ad eum de Miſſa miſeras, Othomarus Mullerus cui Gernuſius tradiderat, in angulo neglectum reperit. Helveticæ & ipſæ dubiæ res ſunt. Laxata ſunt fœderis illius invicti vincula, artibus Ieſuitarum & negligentiâ Reip. E filiis Sabaudi unus, Epiſcopus Lauſanenſis à Pontifice dictus eſt: quod Bernenſibus ſuſpectum. Phædrum

Rittershuſii vidi. Vellem, quod petieram, ſuſpendiſſet editionem. Notas quas exſcripſi è codice P. Pithœi mittam ad te quamprimum certum nanctus hominem fuero. Illis & ornatior & melior Phædrus prodiiſſet. Scripſi ad Rittershuſium Lutetiâ, & ejus ad Caſaubonum litteras curavi. Scripſi & ad Schoppium non ſemel. Is ubi vivat, quæſo, edoce me. & Vale. Illuſtri Dom. Comiti & Ampliſſimis Dominis Baumgartnero, Nutzelio, fratri & tuis ejuſque filiis, ipſique Rittershuſio & Gentili inprimis multam ſalutem & officioſam dico. Venæ illæ Hungariæ divites, an ſubito defecerint, cupio ex te diſcere. De ſororis Regiæ cum Lotharingo nuptiis, ſermo repetitur. Argentinâ pr. Iunii. 1598.

CLXXIX.

SCribo ad te ex acidulis in thermas, ad quas profectum te cognovi ex litteris tuis

tuis ſcriptis 14. Maii. Eæ mihi redditæ ante paucos dies. Pacē non ſolum factā, ſed & proclamatam conſtat. Vtinam verè Pax ſit. Ego de ea quid ſemper ſenſerim, non ignoras: nec abeo à ſententia. Quo loco in hoc negotio Rex Genevam habuerit, non poſſum ex amicorum litteris intelligere: neglectum non ſpero. Conſtat tamen eos excubitorum numerum auxiſſe: & Bernenſes in metu eſſe: atque edicto prohibuiſſe, nequis in poſterum ſubditorum, Sabaudi aulam frequentaret. Hoc vero factum olim oportuit. Sed ad pacem illam noſtram redeo. In præſens utilem & neceſſariam eſſe, nemo eat infitias qui Galliæ noſtræ ſtatum habeat cognitum: Quid verò ex ea futurum ſit, Deus novit, cui aperta ſunt & recluſa omnia: Sed nos aſtu Hiſpani vincunt, cui in pace magis erimus expoſiti quàm in bello. Ordinibus Belgicis metuo: nec hactenus quid conſilii capiant ſcire potui: niſi quod à Rege diſceſſerunt, certi pacis omnes refutare rationes: Vaginam, dicentes, ſe enſium ſuorum in profundum abjeciſſe mare. Tenebunt me hæ acidulæ ad nundinas Argentinenſes: è quibus ſcribam ad te de omnibus plenius. Tibi ut thermæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

illæ valetudinem reſtituant firmentq; à Deo precor. Schoppius ubi ſit, quæſo doceme. De exercitus Hungarici ducibus, numero, aliaque abs te exſpecto: Nam nihil mihi exactius quam quod à te. Pontes levatiles audio veſtros ad portas civitatis aptare. Factum prudenter: & vereor ne vigilandum ſit in poſterum diligentius quàm factum hactenus. Iterum Vale & ſaluta à me Illuſtr. Dn. Comitem, Ampliſſ. Dn. Baumgart. & Nutzelium & fratrem cum filiis ejus tuiſque officioſè, & Gentilem & Ritterſhuſium. Ex acidulis Petenſibus 25. Junii ſt. n. 1598.

CLXXX.

Virorum Optime. Terrent me litteræ tuæ ſcriptæ pr. Kal. Sept. Itane afflicta valetudo tua, ut etiam ultima cogites? Deus avertat: & te, longiſſimâ dignum vitâ, diutiſſimè nobis valentem ſervet. Hoc toto affectu voveo. Exaudiat Dominus, idem qui me nuperrime ſepultum excitavit. Vires quidem lentè recipio. Sed & ſomnus rediit, & dolores illi acres multum mitigati: ſola Dei benignitate. Ex innumeris medicamentis quæ mihi injecta ſunt, nullum niſi ex Laudano, illo Paracelſico, fru-

ctum

ctum ſenſi, quo ut uterentur neſcio quomodo adduci ſe Medici mei paſſi ſint. Sed illud numquam fefellit: & dolores ad horas ſex & ſeptem mitigavit, & ſomnum induxit quietum ad duas aut tres horas: Vno verbo, homini doloribus emortuo, vitam per intervalla reddidit. Repeto, Idem ille, cui ſpem melioris valetudinis debeo, Deus, te nobis ſalvum & pro ætate validum reſtituat, benignus. Pro ſcriptis quæ tranſmiſiſti, magnas tibi ago gratias. Nihil habeo quod rependã. Omnino verè judicas: In tempora venimus periculorum plena: Sed regurgitant jam mala: & fructus edunt copioſos, prava improborum conſilia, quæ & ipſa tandem, bonorum puſillanimitate vires ſuggerente, Germaniam miſerè habebunt. Sed de Tranſilvano, ſomnium ne eſt, an vera res? Noſtra, ſcribendi jam materiam ſuppeditant exiguam. Blavetum in Britannia Briſſaco Mareſchalco reſtitutum, & inde dirutum: Hiſpanis naves quæ eos devehant, præbitæ. Sed peſtis inter eos graſſatur vehementer, & ex quo naves eſcenderunt, Ducem febri laborantem coguntur exſpectare, nec deſcendere & terram repetere Briſſacus concedit. Legatum

Pontificium illum pacis architectum, Italiam repetiſſe arbitror. Ejus nocebat nobis præſentia. Impetraverat à Rege, ne Edictum in favorem Reformatorum conditum, ipſo præſente, vulgaretur: ſed inſtantibus noſtris, diſceſſum & ipſe maturavit. Jeſuitæ reditum ad nos tentant modis omnibus. Sed eorum artibus & conatibus obſiſtit fortiter Senatus Pariſienſis, cujus ſententia nuper prodiit, Vt dignitatum togatarum omnium indigni habeantur omnes qui poſt pulſos Gallia Jeſuitas, in eorum collegiis operam dederunt litteris: Comitem Turnonium qui contra S.C^tum illos retinuit, damnarunt crimine læſæ Majeſtatis Deus hoſtes ſuos & verbi ſui aut convertat aut male perdat. Te vero ſuaviſſime amicorum longùm ſervet. Fratri & filiis, fratriſque filio officioſam ſalutem dico. Lotharingus quod ſciam nondum rediit domum. Apud eum ſunt Clivenſes Legati, qui unam ex ejus filiabus uxorem petunt Duci ſuo: quem obiiſſe diem ſuum rumor huc Francofurto allatus eſt. Sabaudum ad Regem excurriſſe hic ſpargitur & eodem fere die advenisſe in aulam, quo Lotharingus. Conatur Salucenſi nos marchionatu emungere.

gere. Ducatii ſacras Odas, poëtæ non infimi Spiritus, miſi ad te nuper, ſine literis, quia urgebat tabellarius. Sed quæſo te, de Servio, niſi confectum eſt, exora Rittershuſium. Iterum Vale & vive. Argent. 29. Sept. 1598.

CLXXXI.

EX thermis feliciter te reverſum ſpero & opto. Pacem Rex Lutetiæ firmavit præſentibus Legatis Hiſpanicis, qui & obſides exhibuerunt. Nos in ea opinione ſumus, nullam nos unquam cum Hiſpanis pacem meliore conditione feciſſe: ſuper quo judicium tuum audire velim. Reſtituit omnia Hiſpanus, nihil ipſe recipiens. Ego ita judico, Tanti ei eſſe filii regnum confirmare, quod non potuit, niſi hac pace, ad quam & Angli & etiam Belgæ tandem dicuntur acceſſuri. De his difficilis ſanè deliberatio eſt. Genevenſes & Bernates, omneſque adeo Regni noſtri confœderati in hanc pacem veniunt. Sabaudus dicitur è noſtris militem colligere, bellum in Mantuanum cogitans, ob Montferratum cujus oppidum Caſal ajunt eum obſeſſurum. Nuptiæ regiæ ſororis cum Lotharingo, certæ habentur: & Regem ipſum de uxore ducenda ſeriò cogitare

 ſcri-

ſcribunt. Deus conſilia fortunet. Mihi eo magis ſuſpecta ſunt omnia, quo magis apparent eſſe tuta.

Mene ſalis placidi voltum, fluctuſque quietos *(monſtro?*
Ignorare jubes? mene huic confidere

Monſtrum certè eſt hic mundus. Sed ſperemus meliora. Saintſalius qui Pleſſæum ita graviter, ut ſcis, offendit, dicitur ſatisfactionem offerre, poſtquàm nihil à Rege tutum ſibi videt: nempe genu poſito veniam à Pleſſæo petiturum, & profeſſurum injuriam ei feciſſe quod comitatu ſuperior eum eſſet aggreſſus, quem aliàs viribus æquis aggredi auſus non fuiſſet. Dubium, an conditionem hanc Pleſſæus ſit accepturus. Litteras aliquot ad Principes mitto Domino Calandrino, quæ ut tutò curari poſſint cum eo quæſo delibera: Grandes abs te litteras exſpecto de omnibus Polonicis, Moſcoviticis, Suecicis, Hungaricis veſtris &c. Clariſſ. Dn. Vale & Illuſt. Dn. Comitẽ ſaluta à me Magniff. etiam Dn. Senatores veſtros, fratrem & tuos ejuſq; filios, Gentilem & Ritershuſium: & doce ubi Schoppius vivat. Ad illum mittam per veſtros Phædrum Pithœi. Iterum vale. Argentinâ 6. Julii. 1598.

CLXXXII.

CLXXXII.

DIuturnum ſilentium tuum, reddit me de valetudine tua ſollicitũ. Sed tu hanc moleſtam curam, quæſo, exime. Paſſeratii poëmata & alia quædam conjeci in faſciculum quem tibi, ut ſpero, reddet noſter Calandrinus: addidi Phædrum cum notis quas exſcripſi è libro Pithœi diligenter. Eum mittes ad Rittershnſium. Adjunctas Schoppio ut cures vehementer abs te peto. Quæ habet in Servium ab eo peto nomine P. Danielis. Vnicum hoc editionem moratur cujus ſpecimen litteris adjunctum Schoppii videbis, & unà cum litteris ipſis niſi moleſtum eſt, ad Schoppium tranſmittes. Ego Acidulas repetere cras conſtitui: malè habui ex quo vix benè cœptum earum uſum intermiſi. Quod publica attinet, Noſtri, ut quidem ſpero, ſua ab Hiſpanicis recipiunt. Bironius jam Dux & Par Franciæ, Bruſſellas deſtinatus erat ad Albertum firmandæ paci, profecturus inde ab Sabaudum & ad Pontificem: Bellegardius in Hiſpaniam. Magnâ pompâ Regem 21. Junii pacem juraſſe, audiviſti. Ex eo, dici non poteſt, quanta ubique apud nos rerum omniũ facta ſit commutatio. Itinera omnia

paullo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

paullo ante latronibus inſeſſa, repentè libera & tuta: Agreſtes urbanique, plebes ſimul nobileſque ruinis reparandis, agris excolendis intenti: Vrbes oppidaque hactenus præſidiis militaribus preſſa, jam ſine cuſtode & vigile, portis etiam per noctem reſeratis, ſecuræ. Rex ipſe Martio ſpiritu depoſito, pacis artes induit, & ſe totum Juſtitiæ mancipat. Ita ad me mei ſcribunt. Ea verò, ut æterna ſint à Deo precor. Sed ut me tibi amico aperiam, quæ de Regis nuptiis feruntur, non placent. Belgica adhuc dubia: & Angli nondum plane conſtituerunt, pacem an bellum malint. Hiſpanus verò dum Belgio cedit, Arces quas citadellas vocant, excipit: excipit & Burgundiæ Comitatum: Alberto verò præter illas provincias, 400. millia aureorum annua, ex Luſitanię reditibus numerabit: Irritabũt hæc non immerito animum Sabaudi. Præterire nolo, Arragoniæ Amirantem dixiſſe apud nos liberè, Fruſtra ſe cum Imp. & fratribus Auſtriacis egiſſe, ut volentibus ipſis, Albertus Regis Rom. dignitatem ambiret. Rodulfum vobis, qualis qualis eſt, Deus ſervet: eo exempto, magnis motibus concuſſam Germaniam iri, nemo nõ videt. Sed tu vale Clariſſ. D.

&

& me inter tuos ama. Illuſt. Dn. Comitem, & Ampliſſ. Dnn. Baumg. Nutz. & optimum fratrem tuum filioſque ſaluto officioſe. Argentinâ 19. Julii. 1598.

CLXXXIII.

SIlentium tuum ſuſpectum eſt mihi: & non poſſum non eſſe de valetudine tua ſolicitus. Meum certè eſt ex diuturna ſex ſeptimanarum & gravi dyſenteria, qua nihil nunquã pertuli moleſtius. Periculũ abeſſe Medici Sebitius & Havenreuterus quorum utor opera, ajunt. Sed ſortes meæ in manu Domini, cujus præſens in hoc morbo auxiliũ ſenſi non ſemel. Eum toto animo oro, ut te diutiſſimè ſervet valentem Reip. tuiſq;, inter quos me pono ipſe. In hac verò virium imbecillitate cauſa ad te ſcribendi, litteræ ſunt quas heri accepi à Schoppio noſtro Ferrariæ datas, quibus ſcribit Servii quæ habet ea eſſe apud Rittershuſium à quo jubet petere. Scribo igitur ad Rittershuſium & litteras ad te mitto, tuas ut adjungas, ne quid ſit in impetrãdo difficultatis. P. Daniel urget, & vir eſt cui gratificari bonos omnes & litterarum amantes convenit. Impetra igitur, ut Francofurtum ad D. Calandrinum mittatur Servius: & ſi occaſio mittendi non fuerit, tabellarium

huc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

huc ad me mitti in eam rem peto mei
ſumptibus qui adferat. Nam cer
hominem habeo cui tuto credere
ſum: Is Lutetiam proficiſcitur int
menſem. Novis aures jamdudum va
ſunt. Parata apud vos omnia. Lotha-
ringus pater ipſe de filii nuptiis tranſ-
acturus ad Regem profectus eſt. Vt
confirmatior fuero, ſcribam pluribus.
Amiciſſime virorum, Vale & vive. Ar-
gent. 12. Sept. 1598.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 37